

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV. ANG.
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS



V.

PROGRAMM

des

Vitzthumschen Gymnasiums,

als

Einladung

zu dem am 23. und 24. März 1866 stattfindenden

öffentlichen Examen,

herausgegeben von

Dr. phil. Karl Scheibe,

Rector und Professor.



Inhalt:

DRESDEN,

Druck von E. Blochmann & Sohn.

1866.

I.

DE ARTIS VOCABVLIS QVIBVSDAM LVCRETIANIS

SCRIPSIT

FRIDERICVS POLLE

PHIL. DR.

Quo dicendi genere usus sit Epicurus, his uerbis explicat Diogenes Laërtius X 13: *κέχρηται δὲ λέξει κυρίᾳ κατὰ τῶν πραγμάτων, ἥν, ὅτι ἰδιωτικωτάτη ἐστίν, Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς αἰτιᾶται. σαφὴς δ' ἦν οὕτως, ὡς καὶ ἐν τῷ περὶ ῥητορικῆς ἀξιοῖ μηδὲν ἄλλο ἢ σαφήνειαν ἀσκεῖν.* cuius iudicii initium quo modo sit intellegendum, docet altera pars: perspicuitatem tanti fecisse Epicurum, ut omnia orationis ornamenta sperneret uulgaremque uel etiam plebeiam orationem eandemque simplicem et propriam anteponeret uerbis uel splendidissime ornatis, cum timeret ne illa orationis ornamenta perspicuitati nocerent. illa autem uerba *κέχρηται δὲ λέξει κυρίᾳ κατὰ τῶν πραγμάτων* non longe a uero aberrabimus si non tam Diogenis iudicium continere quam ad ipsum Epicurum referenda esse statuerimus, quem ueri simillimum est gloriatum esse se *λέξει κυρίᾳ* uti solere. quod siquidem dixit, sine dubio Heraclitum uel tecte tetigit uel aperte in eum inuectus est, quem *κυκητήν,* perturbatorem, uocasse dicitur teste Diog. L. X 8, quo nomine obscuritatem illius potissimum perstrinxisse uidetur. hinc discipulus eius Lucretius de Heraclito dixit (I 639 — numeris utor Bernaysianis):

> clarus ob obscuram linguam magis inter inanis
> quamde grauis inter Graios, qui uera requirunt.

Ita cum sine dubio laude dignissimum sit Epicuri studium perspicuitatis neque Heracliti obscuritas laudari possit, est tamen quod hanc excusemus. Heraclitus enim mentis acie et ui cogitandi tanto opere superabat omnes aequales, ut fieri non posset, si cogitata eloqui uellet, quin obscurioribus uerbis uteretur, nec negari potest eum saepissime impeditum esse lingua illis temporibus nondum satis exculta, quominus quidquid mente moliretur, claris notionibus comprehenderet et plane dilucideque diceret[1]). nam nihil est in lingua ullius gentis, quin antea ab ea gente cogitatum sit. atque omnes quidem notiones, quae clare cogitatae erant, claris atque quam minime ambiguis uocibus inter se distinguuntur; contra quae minus clare sunt cogitata, ea minus distincte exprimuntur uocibus linguae; denique quae non cogitatione aut mentis ui acieque, sed imaginatione tantummodo percipiuntur et quasi per somnia uidentur, quaeque per furorem quendam poëticum potius captantur quam certis continentur notionibus mentis, ea abscondita et quasi uelata sunt in lingua, neque acriter intellegi possunt nisi ab eo, qui, postquam ipse has notiones mentis acie percepit, hoc ipsum agit, ut eas quaerat. cuius generis omnia illa sunt, quae in deorum et heroum fabulis latent, quae plerumque non modo uerissima, sed sublimia ac uere diuina sunt. iam si uir exsistit, qui, sicut Heraclitus, tam diuina eminet inter aequales cogitandi potestate, quam Iuppiter inter

---

1) *Die sprache ist das bildende organ der gedanken. die intellektuelle thätigkeit, durchaus geistig, durchaus innerlich und gewissermassen spurlos vorübergehend, wird durch den laut in der rede äusserlich und vernehmbar für die sinne. sie und die sprache sind daher eins und unzertrennlich von einander. sie ist aber auch in sich an die nothwendigkeit geknüpft, eine verbindung mit dem sprachlaute einzugehen; das denken kann sonst nicht zur deutlichkeit gelangen, die vorstellung nicht zum begriff werden. Wilh. v. Humboldt, Ueber die Kawisprache, einleitung* p. LXVI. cf. p. LXVIII. CLIV.

Faunos et Silenos, quid mirum, si is, quae magna et noua atque inaudita excogitauit, rudiuscula illa lingua, qualem a maioribus traditam atque ab aequalibus usurpatam accepit, non plane aut perspicue aut ita dicit, ut ab omnibus intellegantur? sunt autem poëtae et homines docti, maxime uero philosophi, qui multa cogitatione inueniunt, quae antea nondum sunt inuenta, ideoque notionum numerum augent. eis igitur non modo licet noua uocabula fingere, sed adeo ut id faciant necessitas imposita est. iam si quis philosophus notiones prorsus nouas necdum ab aliis cogitatas inuenit, aut noua uocabula ei fingenda sunt, aut eis uocabulis, quae usus fert, nouae significationes sunt tribuendae. quod si nouum finxerit uocabulum idque qua ui usurpatum uelit ratione reddita luculenter explanauerit, non modo scientiam, sed etiam linguam locupletabit et sibi philosophiaeque suae uocabulum parabit, quo certam et unam semperque eandem rem significet, ut fieri non possit, ut quisquam tale uocabulum perperam interpretetur. explanare autem talium uocabulorum nouam potestatem haud erit difficile, si modo ipsa ad ingenium linguae accommodata sunt. cum enim nemo prorsus nouas uocabulorum radices excogitare possit, sed uocabulum, quod iam in usu est, noua forma ornandum sit, plerumque ab omnibus recte intellegitur uel nulla ratione reddita. alia est enim dicendi ratio hominum doctorum, alia artificum opificumque. namque docti et maxime philosophi non possunt quolibet nomine uti, sed talibus uti debent, qualibus res uere significantur. artifices contra et opifices omnium nationum maxime delectantur eis artis uocabulis, quae nemo intellegere potest nisi ui ac significatione eorum explicata. itaque quid sit descriptio narratio probatio relatio aestimatio, quid definitio partitio diuisio, etiam qui artem dicendi non didicit scire potest; contra quid sit in alea Venus et canis, quid in belli arte uinea testudo scorpio

onager ecus aries musculus, non continuo ex ipsis illis nominibus exstat atque apparet eis, qui rerum sunt ignari. — Laudari igitur debent, qui hoc modo linguam locupletauerunt, neque possunt refutari quae de hac re iudicat Horatius *ep.* II 3, 48 sqq. qui autem nouas notiones nouis uocabulis a se inuentis ac factis uestire aut non uult aut non potest, ei dixi uulgaribus uocabulis noua ui auctis utendum esse. 'dixeris egregie, notum si callida uerbum reddiderit iunctura nouum' (Hor. ib. 47). quamquam hoc minus probandum esse uidetur, quam alterum quod dixi; neque enim ea lingua optima est, quae multa uocabula habet, quorum potestas multiplex sit, sed quae pauca. huiusmodi uocabulis noua ui praeditis qui uti uolunt, semper eandem iuncturam seruare aut addere alia debent, quae ambiguitatem remoueant. quod si non fit, misera perturbatio oritur. et hinc originem ducunt iniucundae illae disceptationes in uerborum controuersia positae, quae tam frequenter cum inter ceteros uiros doctos, tum inter philosophos exstiterunt. nam duo saepe homines uno eodemque uocabulo diuersissimas insigniuerunt notiones. ut ἰδέας uocis uis alia est in cotidiano sermone Graeco, alia in philosophorum libris, alia rursus apud alios philosophos, alia in linguis antiquis, alia in recentioribus, tum alia in uulgari Germanorum sermone, alia in philosophorum, alia apud alios philosophos recentiores, quin etiam apud eundem aliam habet potestatem singulari numero, aliam plurali. tot igitur et tantae difficultates eis uincendae sunt, qui discernere uarias eiusdem uocabuli notiones et uolunt et debent. facile igitur concedemus Pottio [2]) dissensionem philosophorum tantum non omnem ortam esse e uocabulis peruerse intellectis.

Sed redeo ad Heraclitum. Heraclitus, quasi alter Hercules inter philosophos, multas easque sublimes notiones primus ex-

---

[2]) *Zeitschrift für philosophie u. philos. kritik,* uol. XLIII p. 127 sq.

cogitauit, multa, quae antea, sicut umbrae mortuorum, sine forma et colore per animos hominum poëticos uagata erant, tenuit, comprehendit, constituit, e pallidis imaginibus et quasi spectris claras ac distinctas notiones effecit, hac ratione miro modo impugnans suam ipsius de perpetuo rerum flumine doctrinam. sed nulla notio comprehendi et teneri potest nisi nomine imposito. quod nominare et eloqui possumus, id scimus mentiturque quicumque se scire quid gloriatur, quod appellare aut uerbo dicere non possit[3]). nominibus igitur imponendis res uel potius notiones comprehendimus ac tenemus[4]).

---

[3]) Atque quod a nullo dici potest, id non est. quod egregie probat fabula Scandinavorum: 'Regi filius erat magnus et pulcher; erat autem mutus *neque ei impositum est nomen.*' haec uerba interpretatus sum e carmine de Helgio Hjöruardi filio, quod est in Edda Saemundi. muto igitur nomen non imponitur; namque quod nomine hominis distinguimus, summa eorum est, quae quisque sua et propria habet siue — fiat uenia uocabulo — indiuidualitas. mutus autem homo indiuidualitatem non habet, nihil est, nisi unus ex hominum genere. cf. Lazarus et Steinthalius in actis diurnis: *Zeitschrift für völkerpsychologie und sprachwiss.* I p. 36: *Der volksgeist . . . hat sein selbstbewusstsein, in dem grade etwa wie der mensch, der sich als besonderen menschen weiss, also wie das kind, welches sich mit seinem namen bezeichnet, oder auch schon wie die grosse masse der menschen ein empirisches ich hat. es ist bemerkenswerth, dass ein gewisser mongolischer stamm keinen besonderen namen hat und sich nur 'Wir' nennt, aber auch von den andern stämmen nur so genannt wird. wie jedes individuum, also hat auch jedes volk sein eigenthümliches selbstbewusstsein, wodurch es erst zu einem besonderen volke wird, wie jenes zu einer besonderen person . . .*

[4]) Vix est quod moneam hoc non refutari talibus locis qualis hic est Lucretii:

I 830 *nunc et Anaxagorae scrutemur homoeomerian*
quam Grai memorant nec nostra dicere lingua
concedit nobis patrii sermonis egestas,
sed tamen ipsam rem facile est exponere uerbis.

ac ne hoc quidem loco refutatur:

III 241 *quarta quoque his igitur quaedam natura necessest*
attribuatur: east omnino nominis expers;

iam uero lingua non solum imago cogitationis est, sed etiam instrumentum cogitandi. atque ne Heraclitus quidem cogitare potuit, nisi quae simul uoce notaret, nomine insigniret, appellaret. quo sublimiora autem magisque recondita cogitata sunt, eo minus apta nomina lingua eis praebet. hanc ob rem quae proprie dicere philosophus non poterat, ea similitudinibus et translata dictione significare debebat. hinc factum est, ut ab aequalibus non intellegeretur, a ueteribus posterioris aetatis perperam plerumque intellegeretur, quod non accidisset, si claris et definitis artis uocabulis uti potuisset; sed ea, quibus utitur, uix artis uocabula dici possunt. ut ignem suum, ne confundatur cum uulgari igne, *πῦρ ἀείζωον* uocat, aquae elementum *θάλασσαν*. magis dici potest artis uocabulum *ἐναντιοτροπή* (Diog. L. IX 7), at *ὁδὸς ἄνω κάτω, πόλεμος καὶ ἔρις* similitudines poëticae sunt; quid uero apud eundem esset *ἀναθυμίασις*, ne Aristoteles quidem (*de anima* I 2) certo dicere ausus est, et *Δίκη, Ζεύς* prorsus abhorrent a sermone philosophorum.

Itaque non est mirandum, quod Heraclitus Epicuro perturbator uisus est, nec magis mirum quod ipse Epicurus, ut dixi, studiosus fuit orationis quam maxime fieri posset propriae, cum tempore floruerit magis opportuno. antecesserant enim, ut de ceteris taceam, Plato et Aristoteles, quorum alter pulchritudini orationis, alter subtilitati, uterque perspicuitati tam feliciter operam dedit, ut neutrum quisquam aequaret. horum igitur uirorum opera sermo ita excultus est, ut omnibus posterioribus exemplo esset. praeterea uterque docuit exemplo

---

qua neque mobilius quicquam neque tenuius exstat . . .
hic de mente, quae corporea natura sit, agitur (cf. Reisackerus, Epicuri de animorum natura doctrina a Lucretio discipulo tractata, Colon. 1855, p. 21. Schoemannus, Schediasma de Epicuri theologia, Gryphisw. 1864, p. 17). hanc corpoream mentis naturam nominis expertem uocat nullam aliam ob causam, nisi quod ipse de hac re, quae nulla est, nihil scit. — Ciceronem (*Tusc.* I 10, 22) refellere nolo.

suo neminem posse philosophari nisi eum, qui auderet noua cogitata nouo sermone tradere; hanc autem nouitatem sermonis minime prohibere, quominus intellegerentur ea, quae dicta essent, sed potius periculum esse ne eius sermo non recte intellegeretur, cui ingenium ad noua uocabula fingenda deesset. ac Plato quidem luculenter ostendit posse etiam eum, qui minime dubitaret noua uocabula introducere, summas orationis laudes assequi. quis enim eum superauerit orationis elegantia et uenustate? Aristoteles uero probauit posse eundem in summis et uitae humanae et litterarum quaestionibus magistrum fieri hominum doctissimorum omnium aetatum. his igitur exemplis propositis Epicurus ea orationis uitia facile uitare poterat, quibus Heracliti oratio laborauerat. uerum enim uero cum respicio ad ea, quae ex scriptis eius manserunt, magno opere uereor, ne Platonem quoque Aristotelemque perturbatores uocaturus fuerit; ipsius enim oratio tam humilis est et tanto opere abhorret a philosophiae dignitate, ut cum oratione Platonis et Aristotelis nullo pacto possit comparari. non abstinet ille quidem nouis uocabulis — hoc in neminem ueterum ac ne in Ciceronem quidem cadit nec in quemquam recentiorum praeter finitimos nostros transrhenanos, qui non audent ullo uocabulo uti, quod non sit sancitum lexico academiae, nec oratione, quae non sit *mise à la portée de tout le monde* — non prorsus, inquam, noua uocabula euitat Epicurus, sed id clarissime docent scripta eius, eum sic iudicauisse, eundem nec alium sermonem decere philosophum atque quo quiuis alius scriptor et uti posset et uteretur, eique perspicuitati operam dedisse, quae placeret non doctis tantum, sed cuilibet homini de uulgo. ea uero perspicuitas nulla est, nam is philosophus, qui a quolibet intellegi uolet, a nullo intellegetur, aut, si intellegitur, philosophi nomen male et fraudulenter sibi arrogat. philosophia enim non est cuiuslibet. et Epicurus quidem non est pro philosopho haben-

dus. is enim, qui definit *τὴν φιλοσοφίαν ἐνέργειαν εἶναι λόγοις καὶ διαλογισμοῖς τὸν εὐδαίμονα βίον περιποιοῦσαν* (Sext. Emp. *adu. math.* XI 169), qui dialectica superuacanea esse docet (Diog. L. X 31), cui haec philosophiae ratio constat: *ἐὰν μή τις τὸν μοναχῇ τρόπον κατηγαπηκὼς τοὺς ἄλλους ὡς κενοὺς ἀποδοκιμάζῃ* (Diog. L. X 94), cuius doctrina a tanto grege discipulorum non excolebatur aut emendabatur: is profecto philosophi nomen summa sibi uindicat iniuria.

Sic mihi effecisse uideor uero philosopho, qui nouas notiones usurpet, licere sua ac noua oratione uti, siue noua uocabula in linguam introducat, siue notorum et usitatorum uocabulorum potestatem augeat, stolideque eos agere, qui a philosopho non modo perspicuitatem, sed eandem perspicuitatem postulent, quae uersetur in ceterorum bonorum scriptorum oratione. — At ne illum quidem, qui non possit pro philosopho haberi neque philosophi oratione utatur, siquidem de rebus disserat, quae in philosophia tractari soleant, artis uocabulis supersedere posse contendo. etiamsi enim nullis nisi plane uulgaribus uocabulis utatur, his ipsis uocabulis aliam et nouam tribuat uim necesse est, quod cum fecerit, tum artis uocabulum exstiterit. multo autem difficilius erit rationem de huius sermone reddere, quam de eius, qui noua uocabula fingit, cum uocabulum multiplicis potestatis difficilius sit intellectu, quam id, cuius potestas una sit et semper eadem. quam ob causam propter ipsam notionum subtilitatem et elegantiam ea philosophia, quae seuerissima et grauissima oratione traditur, facilius intellegitur, quam quae populari forma enarratur. hoc igitur cum in Epicurum cadit, tum multo magis etiam in Lucretium discipulum eius, qui philosophorum decreta uersibus tradiderit. quare cum difficile est rationem reddere de Epicuri artis uocabulis, tum multo difficilius, uocabula Lucretii propria explicare. poëtae enim non modo licet sermonem uariare atque rem unam uoca-

bulis multis describere, sed etiam poscitur id ipsum; ei autem philosopho, qui soluta oratione utitur, eis tantummodo locis hoc licet, ubi explicat uocabula sua, quamquam paucissimi philosophi huic legi tam religiose oboediunt, quam debent. ad poëtas autem eadem lex non pertinet ac ne ad eos quidem, qui philosophantur. ueluti quamquam saxum minime est idem atque lapis (Plin. *n. h.* XXXVI 22 (49), 169 : [*silex uiridis*] *ubi inuenitur, lapis non saxum est)*, tamen Lucretius VI 1062 uariandi causa aut metro obtemperans *saxum* posuit pro *lapide*. atque hoc suo iure fecit, quod ne is quidem obliuisci debet, qui artis uocabula perscrutatur. rarissime igitur factum esse uidetur, ut res, quam Epicurus constanter uno nomine significauit, a Lucretio quoque uno semper nomine appellaretur. quod quidem arguunt *συμβεβηκότα* et *συμπτώματα* (Diog. L. X 68—74 cum Gassendi adnotatione; cf. etiam Zelleri Philos. Graec. III 1[2] p. 372. F. Hildebrandtus, T. Lucretii de primordiis doctrina, Magdeb. 1864, p. 12). non enim inuenio nec apud Epicurum nec apud Epicureum quemquam *propria* et *aduenticia* alio uocabulo significari, nec Lucretius *τὰ συμβεβηκότα* alio quam *coniunctorum* nomine interpretatur, nec *τὰ συμπτώματα* alio quam *euentorum*. haec praeterea nomina apud Lucretium optima artis uocabulorum exempla sunt; primum enim pertinent ad ipsam philosophiam nec usurpantur de alia re nisi mutata notione ac potestate; deinde poëta his uocabulis Graeca uocabula interpretatur, quae ipsa quoque ad artem pertinent; denique ubi eis utitur, ut fieri debet, explicat, qua ui ea intellegi uelit. eleganter enim definiuntur haec nomina his uerbis:

I 451 coniunctum est id quod nusquam sine perniciali
discidio potis est seiungi seque gregari.

I 456 . . . quorum
aduentu manet incolumis natura abituque,
haec soliti sumus, ut par est, euenta uocare.

quin etiam de formatione et delectu *coniuncti* uocabuli rationem reddit his uersibus:

I 449 nam quaecumque cluent, aut his coniuncta duabus
rebus *(corporibus et inani)* ea inuenies aut horum euenta uidebis.

praeterea et coniuncta et euenta eis rebus opponuntur quae *per se* sunt (I 419. 445. 459. 466 cet.), id est corporibus et inani, quae Epicurus dicit *τὰ καϑ' ἑαυτά* siue *φύσεις καϑ' ἑαυτάς* (Diog. L. X 67 sq.), atque etiam illud *per se* summo iure artis uocabulum uocari potest. — Haec omnia ita sunt tractata, ut deceant uirum doctum et uerum philosophum. nec tamen eadem elegantia et subtilitas ubique inuenitur, nec inueniri potest. interdum enim ab Epicuro artis uocabulum usurpatur, a Lucretio non usurpatur. uelut *ἀναισϑησία* (Diog. L. X 81), *μακαριότης* (id. X 77 sqq.) non est interpretatus poëta uno uocabulo. sic etiam *τὰ μετακόσμια* (Epic. ap. Diog. L. X 89) uerum philosophiae uocabulum est, ab ipso Epicuro, ut uidetur, inuentum *(ἐν κόσμῳ καὶ μετακοσμίῳ, ὃ λέγομεν μεταξὺ κόσμων διάστημα)*, quae tamen notio a Lucretio non redditur uno uocabulo, sed res potius circumscribitur (III 18 sqq. V 146 sqq.), nisi forte ille *largus sermo*, quem poëta V 155 promittit, qui tamen Bentleio, Wakefieldo, Purmanno *(Neue beiträge zur krit. des Lucr.*, Numb. 1849, p. 17) nusquam exstare uisus est, periit una cum eo nomine, quo Lucretius *τὸ μετακόσμιον* interpretatus est. (cf. tamen Reisackerus, Quaestt. Lucret., Bonnae 1847, p. 78, iudex maxime idoneus, qui illum sermonem eiusdem libri uersibus 1159—1215 exstare censet.) Cicero autem *intermundia* dixit, ut *de finn.* II 23, 75. *de d. n.* I 8, 18. hoc igitur uocabulum Lucretius omnino non est interpretatus. contra quod Epicurus dixit *τὸ μὴ ὄν*, id interpretari non potuit propter inopiam linguae Latinae. itaque *nil* uocabulum auxilio arcessiuit, de quo infra disseram. — Alias

autem notiones, quas Epicurus non solet notare sollemni uocabulo, Lucretius significat, siue ipse nomina finxit, siue aliunde sumpsit. huc inprimis referendum est *animans* uocabulum, quod Epicurus non magis quam reliqui scriptores Graeci ab *animali* distinguit, de qua re uberius infra dicam. tum *moenia mundi* (I 73. 1094. II 1045. 1144. III 16. V 119. 371. 454. 1211. VI 123; qui loci soli ad nostram rem faciunt, nam IV 80. V 232. 1446. VI 588. 749 *moenia* ad philosophiam non pertinent) eodem refero, quo nomine Lucretius caelum significat (Reisackerus, Quaestt. Lucr. p. 56 sq.), quo aether ignifer constituitur et quo omnis hic mundus saepitur (V 453 sqq.). id Epicurus (ap. Diog. L. X 88) *πέρας* uocat, quod hoc loco non est artis uocabulum. moenibus autem illis quorum in Epicuri fragmento libri *περὶ φύσεως* XI (Volum. Herculan. II) col. 2 mentio fit, alia res significatur. fragmentum hoc est: *(συμφώ)νω(ν) τοίχους ἐν (κύκλ)ῳ ποιήσαντες, ἵ(να μὴ ἄ)ξωσιν ἡμᾶς (πρὸς τὴ)ν δίναν· ὡς ἔξωθεν αὐτῆς πε(ρ)ιφερομέ(ν)ης πᾶ(σι)ν (ἡμῖν κε)φα(λ)ῆς (π)ά(ντοτε συμ)περιαγού(σης) φ(αινόμε)νον* . . . in quibus explicandis Rosinio assentior, qui *τοίχους* de caelo intellegi posse negat propterea, quod extra caelum nulla sit *δίνη*, sed caelum ipsum uertatur (Epic. ap. Diog. L. X 92. Lucr. V 510 sqq.), in quem uorticem ne rapiamur, aëris quasi muro terram obuoluentis muniamur. quam sententiam confirmat ipse Epicurus (ap. Diog. L. X 112): *ἀλλὰ καὶ τῷ δίνην ἀέρος ἔγκυκλον αὐτοῖς προσεστάναι, ἣ κωλυτικὴ γίνεται τοῦ περιπολεῖν, ὡς καὶ τὰ ἄλλα.* item *περὶ φύσ.* lib. XI col. 12. neque illud *moenium mundi* nomen uere poëticum ab Epicuro usurpatum esse ueri simile est. sed ne ab Empedocle quidem desumptum est, quamquam in re quidem hi poëtae fere consentiunt (cf. Reisackerus l. d. et Aemilius Hallier, Lucretii carmina e fragmentis Emped. adumbrata, Ienae 1857, p. 29 sq.). nam uerba quidem Empedoclis prorsus alia sunt.

Etiam *lacessendi* uerbo ita utitur Lucretius, ut uix negari possit, id uerbum artis uocabuli uim habere. semel enim tantummodo de primordiis usurpatur, quae alia primordia cient et impellunt (II 137). praeterea poëta ubicumque hoc uerbo utitur, sensus uel animum lacessi dicit simulacris rerum uel odore uel uocibus, ita ut hoc uocabulo primus sensuum uel animi affectus significetur (de qua re Cicero *pellere*, *pulsare* dicit *de d. n.* I 38, 106 sq.), nec inuenitur nisi in quarto libro (nam u. VI 923 e IV 215 repetitus est), ubi de sensibus et rerum simulacris exponit; in primo autem semel (303) eodem significatu dicit *impellere sensus*, scilicet quia tum artis uocabulum nondum finxerat. item semel in quarto *impellere sensus* legitur (525), qui tamen uersus e primo libro paucis mutatis repetitus est. contra *lacessere* artis uocabuli potestatem habet IV 215 (= VI 923). 345. 595. 685. 689. 727. 729. 751. 756, atque etiam 1032 ad sensus respicit:

sollicitatur id in[5]) nobis, quod diximus ante,
semen, adulta aetas cum primum roborat artus.
namque alias aliud res commouet atque *lacessit:*
ex homine humanum semen ciet una hominis uis.

nam ratio, qua in generando sensus afficitur, eo differt a ceteris, quod res, quae percipitur, non est extra hominem sed intus. — Apud Epicurum artis uocabulum huius potestatis non inueni. cum autem e tanta copia librorum, quos Epicurus conscripsit, tam pauca aetatem tulerint, plerumque difficile est negare eum artis uocabulis usum esse. hoc addam, quasdam res ab Epicuro obiter tantummodo tangi, quae a Lucretio

---

[5]) Hoc uocabulum deest in codicibus. Lachmannus scripsit E *nobis,* Bernaysius *in*. *in* est etiam in cod. Laurent. plut. XXXV 31 teste Hugone Munrone Britanno, qui Lucretium edidit Cantabrig. a. 1860 (ed. alt. 1864), et, nisi fallor, in omnibus ceteris editionibus auctore Naugerio, quo probabile fit omnes codices Italicos *in* habere.

maxime premuntur et hanc ob causam sollemnibus uocabulis significantur. sic Epicurus, qui, ut uidimus, censuit uarias rerum naturalium causas admittendas esse eandemque rem alias alio modo explicari posse, prout quisque hac uel illa ratione magis delectetur, obiter tantum tetigit certas et sancitas naturae leges (ap. Diog. L. X 87) his uerbis: *πάντα μὲν οὖν γίνεται ἀσείστως κατὰ πάντων.* Lucretius autem, cui ipsa ueritas cordi est, cum maxima ui de aeternis naturae legibus loquitur, quas nouo nomine *foedera naturae* nuncupare solet. hoc enim *foederis* uocabulo, etiamsi *naturae* genetiuus non addatur, inuiolabilem legem significat. tribus uero locis (V 1023. 1153. 1441) exceptis semper ad naturam pertinet et grauissimum philosophiae uocabulum est: I 586. II 302. III 416. 779. V 57. 310. 92f. VI 906, atque etiam II 254 ea grauitate non est destitutum, quamuis rumpi fati foedera dicantur clinamine atomorum [6].

Plerumque et ab Epicuro et a Lucretio eadem res pluribus uocabulis significatur, nec tamen semper totidem, nec ita, ut Lucretius singulis uocabulis Latinis singula Graeca reddiderit. apud ipsum quidem Epicurum *atomorum* nomina haec inueni: *αἱ ἄτομοι σωμάτων φύσεις* (Diog. L. X 41), breuius *αἱ ἄτομοι* [7] (42. 43. 44. *περὶ φύσ.* II col. 2, saepius), *τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστά* (Diog. L. X 42), breuius *τὰ σώματα* (41. 42),

---

[6] Classenus, etsi in ea dissertatione quae inscribitur, *Zur geschichte des wortes natur,* Francof. a. M. 1865, p. 13, de *naturae* uocabuli usu Lucretiano egregie disseruit, tamen in eo errauit quod dixit p. 14, paene ducentiens hoc uocabulum legi apud Lucretium; legitur enim in editione Bernaysiana ducentiens triciens quater. non minus quod dicit pluralem numerum semel inueniri I 710, fallitur, cum praeterea inueniatur III 315 et 320.

[7] Itaque quod dicit Felix Papencordtius in Commentatione de atomorum doctrina, Berol. 1832, p. 25: 'Vbi ἡ ἄτομος adhibetur, οὐσία est omissum, quod adicit Plut. p. 1110e,' id in Epicurum quidem non cadit, cui *αἱ ἄτομοι* semper *αἱ ἄτομοι φύσεις* sunt.

αἱ στερέμνιαι φύσεις (*περὶ φύσ.* II 9), breuius *τὰ στερέμνια* (sc. *σώματα*: Diog. L. X 46. *π. φύσ.* II 3. 5 sqq.). praeterea *ὄγκους* uocat (Diog. L. X 56. 57. 69), scilicet quia non inter se differunt nisi magnitudine et figura; denique semel legi *τὰ ἄτομα στοιχεῖα* (Diog. L. X 86), at hoc non est artis uocabulum, nec potest esse, siquidem in libro *de plac. phil.* I 7, 15 recte traditur *στοιχείων* nomine Epicurum ipsum — Epicureos semper omitto — aliam rem significare solitum esse (cf. Schoemanni Sched. de Epic. theol. p. 6). neque *ἀρχαί* (Diog. L. X 41, cf. 116) atomorum nomen est. — Apud Lucretium legimus haec:

I 55 . . . *rerum primordia* pandam,
unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
quoue eadem rursum natura perempta resoluat;
quae nos *materiem* et *genitalia corpora* rebus
reddunda in ratione uocare et *semina rerum*
appellare suëmus et haec eadem usurpare
corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.

ex his nominibus *rerum primordia* siue simpliciter *primordia* (*ordia prima* IV 28), *semina rerum* siue *semina* (*semina ignis*, *semina umoris* cet.), *corpora prima* saepissime leguntur in hoc poëmate, *genitalia corpora* ter tantummodo (I 167. II 548 et *genitalia materiai corpora* II 62), *genitalis materies* semel (I 632); at *materies* paulo differt a corporibus primis, cum eorum summa potius hoc nomine significetur (cf. I. G. Braunius, Lucretii de atomis doctrina, Monasterii 1857, p. 15), nec potest res aliter se habere, cum necesse sit materiem singulari numero usurpatam ab atomis quodam modo differre. interdum autem *corpora* nullo uocabulo adiecto atomi sunt (ut I 215. 1077. II 104), aut poëta atomos dicit *corpora certa* (I 521. 526, *certissima* 675), aut *corpora rerum* (I 679), aut quod saepius legimus, *corpora materiai* (ut I 249. 552. 566. 917. 952. 997), aut denique *prima* nullo substantiuo addito (II 313. IV 184). sed etiam alia

nomina inueniuntur, qualia sunt *exordia rerum* (II 333. III 31. IV 112; *exordia animai* III 380); *principia* saepissime (I 244. 484. II. 135) et *corpora principiorum* (I 992. II 297), *elementa* (II 393. III 244. 374), *corpuscula* (II 153. IV 197; *corpuscula materiai* II 529), *radices* semel (II 103). ex his uocabulis nullum nisi *corpora* (σώματα) prorsus congruit cum Graeco. *elementa* (στοιχεῖα) et *principia* (ἀρχαί) non possunt esse translata ex Epicuri oratione, apud quem illa uocabula alias res significant. *radices* uidetur ab Empedocle (33 Stn. 55 Kstn. 26 Stz.) sumpsisse Lucretius. cetera ipse finxit poëta, cuius minime intererat, ut uerbum e uerbo redderet, nam quae apud Epicurum celeberrima nomina sunt, αἱ ἄτομοι et τὰ στερέμνια, ea omnino spreuit. (Cicero *de d. n.* I 24, 67 interpretatur *indiuidua corpuscula* et *de finn.* I 6, 18 *indiuidua et solida corpora*, saepissime autem Graeco nomine *atomi* utitur, ea igitur uocabula eligit, quae ipsi Epicuro usitatissima sunt; Amafanium interpretatum esse τὰς ἀτόμους *corpuscula* idem tradit *acadd. post.* 2, 6.) de Lucretio tamen negari non potest omnia, quibus utitur, uocabula tam idonea esse, ut hac in re minime sit Epicuro inferior.

In aliis uocabulis usurpandis et distinguendis Epicurus Lucretio multo subtilior est ob eam causam, quod Graeca lingua non solum multo copiosior, sed etiam aptior est ad philosophorum praecepta tradenda. haec autem linguae laus non aliam causam habet, nisi quod natio Graecorum ipsa magis erat apta ad philosophandum et tamquam nata [8]. *sensus*

---

[8]) Lazarus et Steinthalius haec scripserunt *(Zeitschr. f. völkerps. u. sprachwiss.* I p. 42): *(Wortschatz ist der umfang) des begriffskreises eines volksgeistes. charakteristisch ist schon die weite des umfanges, ob eine sprache überhaupt wortreich ist. wichtiger aber noch ist der reichthum oder die armuth innerhalb der besonderen gebiete, wie z. b. ob die sprache reich ist an bezeichnungen sinnlicher eigenschaften, religiöser vorstellungen, innerer gefühlsverhältnisse überhaupt.*

quidem uocabulum multiplicem habet uim apud Lucretium, qui hoc uno nomine significat ea, ad quae significanda Epicuro suppeditabant haec uocabula: *αἴσθησις, αἰσθητήριον, ἐπαίσθημα, φαντασία* (cf. Zelleri Philos. Graec. III 1² p. 362), *φανταστικὴ ἐπιβολή* (cf. idem p. 390), ut taceam de eis *sensus* uocabuli significationibus, quae non pertinent ad artem. *αἴσθησις* apud Epicurum primum est facultas sentiendi (*wahrnehmungsvermögen, sinnlichkeit: plac. phil.* IV 8, 2. Diog. L. X 64 sq. 90 sq.), et haec eadem apud Lucretium propria *sensus* uocabuli uis est (ut II 908—932. III 98. V 1170, saepissime alibi); deinde *αἴσθησις* est affectus uel actus illius facultatis (*wahrnehmung, empfindung:* Diog. L. X 39. 62. 65. 86. Zellerus l. d. p. 362), quem tamen, ubi res postulat accuratius *ἐπαίσθημα* uocat Epicurus (*plac. phil.* l. d. Diog. L. X 32), uel *φαντασίαν* uel *φανταστικὴν ἐπιβολήν*; hanc uim *sensus* habet apud Lucretium II 399. 443. IV 668. denique sunt *αἰσθήσεις* quinque illi sensus, uel unus et alter ex eorum numero (Diog. L. X 38. *περὶ φύσ.* II 1. 8. XI 10); item *sensus* apud Lucretium III 624. IV 494. 520. VI 984. praeterea ne *αἰσθητήριον* quidem (Diog. L. X 53) Lucretius alio nomine interpretari poterat (III 503. 548). aliquando hic poëta etiam aliam uim tribuit huic uocabulo, ut II 887 idem est ac *sententia, opinio* et II 19 *iucundus sensus mentis εὐδαιμονία* quam Graeci dicunt esse uidetur. nec dubito, quin, qui hoc agens totum carmen perlegerit, etiam plures huius uocabuli significationes sit inuenturus.

Egregia est subtilitas Epicuri in distinguendis eis uocabulis, quibus *inane* designat. Sext. Emp. *adu. math.* X 2

---

aber nicht sowol auf die manigfaltigkeit der vorstellungen kommt es an, als auf die tiefe und schärfe, womit die völker das wesen der dinge und begriffe erfassen; auf die wesentlichkeit mehr, als auf die feinheit der unterschiede, welche sie hervorheben.

haec habet: *διὸ προληπτέον ὅτι κατὰ τὸν Ἐπίκουρον τῆς ἀναφοῦς καλουμένης φύσεως τὸ μέν τι ὀνομάζεται κενόν, τὸ δὲ τόπος, τὸ δὲ χώρα, μεταλαμβανομένων κατὰ διαφόρους ἐπιβολὰς τῶν ὀνομάτων, ἐπείπερ ἡ αὐτὴ φύσις ἔρημος μὲν καθεστηκυῖα παντὸς σώματος κενὸν προσαγορεύεται, καταλαμβανομένη δὲ ὑπὸ σώματος τόπος καλεῖται, χωρούντων δὲ δι' αὐτῆς σωμάτων χώρα γίνεται· κοινῶς μέντοι φύσις ἀναφὴς εἴρηται παρὰ τῷ Ἐπικούρῳ διὰ τὸ ἐστερῆσθαι τῆς κατὰ ἀντίβασιν ἁφῆς.* (cf. *plac. phil.* I 20.) apud Lucretium sollemne uocabulum est *inane*, ut apud Epicurum *κενόν*, sed haud raro etiam usurpatur *locus* et *spatium* (I 426. 472. 954 sq.), nusquam autem ille de horum uocabulorum discrimine explicate loquitur, quod Epicurum elegantissime fecisse ex eis apparet, quae e Sexto attuli. re tamen Lucretii oratio haud est inferior magistri sermone. nam *inane (das lere)* plane idem est ac *τὸ κενόν*; *locus (platz)* autem non potest usurpari nisi ad corpus relatum, prorsus igitur conuenit cum eo, quod Epicuro *τόπος* uocatur. atque *spatii (raum, spielraum)* quoque principalis uis ea est, ut sit locus, intra quem moueatur aliquid. omnino igitur congruit cum *χώρᾳ*. nec tamen Lucretius tam diligenter inter haec nomina distinguit, ut semper *locum* dicat, ubi inane occupatur corpore, aut *spatium*, ubi res ad motum redit. sed ne Epicurus quidem tam religiose discrimen obseruasse uidetur, qui scripsit (Diog. L. X 67): *τὸ δὲ κενὸν … κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται*, ubi *χώρα* dicere debebat. uerum *ἀναφὴς φύσις*, quae esset latine *intactilis* siue *intacta natura*, non legitur apud Lucretium. qui tamen inane *intactile* uocat et *intactum* (I 437. V 358) atque etiam *naturae* uocabulum ad inane refert I 432, praeter corpus et inane *tertiam naturam* esse negans. hac igitur in re Latinus sermo nequaquam cedit Graeco. —

Iam quoniam fieri non potest, ut paucis his pagellis huic quaestioni ab omni parte satisfaciam, exempli causa de duobus artis uocabulis Lucretianis uberius atque accuratius disputare institui eaque omnibus locis collatis pertractabo. sunt haec *nil* et *animans*, de quibus iam supra mentio incidit. haec autem propterea elegi, quod in altero Graecae, in altero Latinae linguae praestantia conspicua est.

Nil [9]) (*τὸ μὴ ὄν, das nicht seiende, das nicht sein*). — Hoc uno uocabulo Romani duas Graecorum notiones *οὐδέν* et *τὸ μὴ ὄν* interpretari natura linguae suae coacti erant. re fert autem philosophiae, eas accurate distinguere, ut fit in Graeca, ut fit in Germanica lingua. *οὐδέν, nichts*, negatio est cuiusuis notionis affirmatiuae; *τὸ μὴ ὄν, das nicht seiende*, negatio est unius alicuius notionis siue nomen infinitum (*ὄνομα ἀόριστον*, Aristot. *de interpr.* 2). *nichts* igitur enuntiationis est negatiuae, *das nicht seiende* enuntiationis talis, qualem ars logica infinitam uocat. itaque Hegelius, apud quem utrumque artis uocabulum est, accuratissime distinguit inter *nichts* et *nicht sein* [10]). ubi uero apud Lucretium *nil* idem ualet ac *τὸ μὴ ὄν*,

---

[9]) Lucretium semper *nil*, numquam *nihil* scripsisse Lachmannus demonstrauit ad I 159. cf. etiam quae Brixius docet in Fleckeiseni Annalibus 1865 p. 72.

[10]) Cf. eius Log. (*Werke* III) p. 79. 113. — Hic mire fallitur F. A. Maerckerus in disputatione ceteroquin egregia, quam inscripsit: *T. Lucretius Carus über die natur der dinge und die unsterblichkeit der sele*, Berol. 1851 p. 29. is ad Lucretii uerba *nil e nilo* haec adscripsit: *Die deutsche sprache bietet leider für das doppelte nichts, das absolute und das relative, nicht wie die griechische auch einen doppelten ausdruck, sie kennt keinen unterschied des οὐδέν und μηδέν, wodurch häufige begriffsverwirrungen entstehen. Lucrez sagt: nichts erzeugt sich aus dem absoluten nichts, und geht auch nicht dahin zurück, d. h. in das οὐδέν, wol aber in das relative nichts, in das μηδέν, aus dem auch alles entsteht, d. h. aus dem, was es nicht ist: der absolute und göttliche urquell der welt ist kein absolutes nichts.* e quibus Graecos Lucretii fontes non inspexisse uirum doctum facile

artis uocabulum dici potest ob eam causam, quia illud Graecum sine dubio sermonis philosophiae proprium est. hanc autem uim his habet locis:

I 150 nullam rem e *nilo* gigni diuinitus umquam.

. . . nil posse creari
I 156 de *nilo*.

I 159 nam si de *nilo* fierent . . .

I 180 quod si de *nilo* fierent . . .

I 185 . . . si e *nilo* crescere possent[11]).

I 205 nil igitur fieri de *nilo* posse fatendumst.

hnc accedit uti quicque in sua corpora rursum
I 216 dissoluat natura neque ad *nilum* interemat res.

I 237 haud igitur possunt ad *nilum* quaeque reuerti.

I 248 haud igitur redit ad *nilum* res ulla

. . . res quoniam docui non posse creari
I 266 de *nilo* neque item genitas ad *nil* reuocari.

---

apparet: hoc enim si fecisset, uidisset in Lucretii locutione *nil e nilo* illud *nilo* non significare id, quod est οὐδέν, sed id, quod uocatur τὸ μὴ ὄν; deinde intellexisset neque apud Lucretium, neque apud auctorem Epicurum de eo agi, quod ipse uocat μηδέν, *das relative nichts*. neque hoc recte μηδέν uocatur. apud Epicureos, quod quidem sciam, non exstat, apud Platonem autem uocatur θάτερον. nec denique lingua Germanica caret uocabulo, quo hoc θάτερον uertatur, quoniam Hegelii illud, *das da sein* (cf. Log. p. 112 sqq.) prorsus idem est, ac similem certe uim *limitationis* nomen habet in philosophia Kantiana.

11) Codex Victorianus: *ex nihilo si crescere possent.* quod quidem Rudolfus Bouterwekius (Lucretianae quaestt. gramm. et crit., Halis Sax. 1861, p. 41) praefert; mihi autem magna suspitio est hanc mutationem factam esse ne *si* elideretur. at minime alienum est a Lucretio hoc elisionis genus.

. . . nisi materies aeterna fuisset,
I 541 antehac ad *nilum* penitus res quaeque redissent,
542 de *nilo*que renata forent quaecumque uidemus.
at quoniam supra docui nil posse creari
544 de *nilo* neque quod genitum est ad *nil* reuocari . . .

I 673 ne tibi res redeant ad *nilum* funditus omnes
674 de *nilo*que renata uigescat copia rerum.

horum uersuum prior legitur praeterea I 797. II 756 [12]).

I 791 = II 752 ne res ad *nilum* redigantur funditus omnes.

. . . *(huc accedit uti)* funditus usque
I 756 debeat ad *nilum* iam rerum summa reuerti
757 de *nilo*que renata uigescere copia rerum [13]).

I 857 at neque reccidere ad *nilum* res posse neque autem
858 crescere de *nilo* testor res ante probatas.

II 287 de *nilo* quoniam fieri nil posse uidemus.

---

[12]) Legitur etiam II 864, sed de hoc assentior Eduardo Goebelio (Observatt. Lucretianae, Bonnae 1854, p. 28), qui hunc uersum iudicat 'adscriptum fuisse ad uu. 862 863 a lectore haud quidem somnianti, qui his uersibus:

862 *inmortalia si uolumus subiungere rebus*
fundamenta, quibus nitatur summa salutis

eandem inesse uidit sententiam atque illi, qui suo loco supra legitur 756 (= I 673. 797):

ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.

quem ne ab ipso poëta hic repetitum credam, praeter sententiam bis expressam uetat oratio hians nec apte nexa.' esset oratio melius nexa, si haec sententia ita conformata esset, ut I 791 et II 752: *ne res ad nilum redigantur funditus omnes;* quod cum non sit factum, id ipsum tuetur Goebelii sententiam, quam idem repetiit in Quaestt. Lucret. crit., Salisburgi 1857, p. 14.

[13]) Codices habent: *huc accedit item . . . funditus ut qui,* quod Lachmannus sic correxit: *huc accedit utei . . . funditus usque.* Hugo Munro (in actis diurnis: *The journal for classical and sacred philology* uol. I, Cantabrig. 1854, p. 39) censet *ut qui* in *utque,* prae-

Lucretii sermonis simillimum esse Ciceronis loquendi genus declarant hi loci: *Acadd. post.* I 7, 27: *interire non in nihilum, sed in suas partes. de fato* 9, 18: *ut de nihilo quippiam fiat. de diuinat.* II 16, 37: *erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur aut in nihilum subito occidat. Phil.* VII 9, 27: *hunc tantum tuum apparatum tamque praeclarum ne ad nihilum reccidere patiare.* Lucretium imitatus est Persius III 83: *gigni de nilo nilum, in nilum nil posse reuerti.* conferatur praeterea Epicurus ap. Diog. L. X 38: *πρῶτον μέν, ὅτι οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος.* id. ib. 39: *καὶ εἰ ἐφθείρετο δὲ τὸ ἀφανιζόμενον εἰς τὸ μὴ ὄν, πάντ᾽ ἂν ἀπωλώλει τὰ πράγματα.* id. ib. 41: *εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι.* Emped. 45—49 Stein. (= 109—111, 124 sq. Stz. 347—349, 81 sq. Krst.)

Non omnibus locis, ubi apud Lucretium *nil* uocabulum flectitur, *τὸ μὴ ὄν* significatur. duodeciens enim (I 359. 697. II 57 = III 89 = VI 37. II 1118. III 96. 1060. 1089. IV 1217. V 576. 1230) *nilo* est ablatiuus qui dicitur quantitatis. bis

terea nihil mutandum, *funditus* autem cum *mortali* iungendum esse, atque sic scripsit in sua editione. qua ratione quomodo *que* poni possit non intellego. Lachmanni emendationem aut ueram esse aut saltem ad uerum proxime accedere primum inde perspicuum est, quod uerba *huc accedit* apud Lucretium non leguntur, nisi ita, ut nullo alio uocabulo interiecto *uti* (ante uocalem *ut;* cf. Maur. Hauptii Obseruatt. crit. p. 17 et Lachm. ad II 322. III 954) sequatur (I 192. 215. 565. 753. II 398. 1077. III 459. VI 959. 1020; hoc loco codices habent: *huc accedit item, quare queat id magis esse haec quoque res adiumento motuque iuuatur, quod* . . . ex his Lachmannus recte, ut uidetur, fecit *huc accedit utei . . . iuuetur;* Munro 'In his, inquit, ne unam quidem litteram mutaui. *quare . . . iuuatur* curuis lineis inclusi; nam apparet 1022 *quod* ab *accedit* pendere'); deinde quod *usque* simillime usurpatur I 553:

. . . corpora materiai
usque redacta forent aeuo frangente priore.

etiam Leonardus Spengelius (*Gel. anzz. d. k. bayer. akad. d. wiss.* 1851 p. 788) pulchram esse iudicat Lachmanni emendationem.

contra (I 266. 544) etsi designat *τὸ μὴ ὄν*, tamen non flectitur. ubicumque autem *τὸ μὴ ὄν* significat et ob eam rem artis uocabulum est, pendet e praepositionibus. legitur enim quinquiensdeciens *ad nil* siue *nilum*, undeciens *de nilo*, ter *e nilo*. neque uidetur nominatiuus *τὸ μὴ ὄν* reperiri in litteris Latinis, apud Ciceronem certe non reperitur, neque Parmenidis sententiam: *μόνον τὸ ὂν ἔστι, τὸ μὴ ὂν οὐκ ἔστιν* uerti posse in uerba Latina putauerim uel ob eam causam, quod haec lingua articulo caret. —

Animans (*ζῷον*, Aristot. *de anima* II 1, ***belebtes wesen***) apud Lucretium artis uocabulum est. cui quae similem uim apud hunc poëtam habent uocabula haec sunt: *animal*, *pecus*, *fera; bestia* non inuenitur, *belua* semel de monstrosis nubium figuris

IV 140 inde alios trahere atque inducere belua nimbos *(uidetur)*.

sed praeter ea quae sunt *animal pecus fera* opus erat uocabulo, quod magis a sensibus esset seuocatum quoque magis in uniuersum id significari posset, in quo esset *ψυχὴ αἰσθητική*, ut Aristoteles ait, i. e. anima sensibus et interiore motu uitali praedita. quod quidem uoluit *animantem* esse, cui opponit res anima carentes. multum igitur differt a *pecude* et *fera*, de quibus nominibus infra dicam; inter *animantem* autem et *animal* etsi haud multum interesse uidetur, tamen haudquaquam poëta promiscue modo hoc, modo illo nomine idem significat, quamquam negari non potest interdum neque re ferre, utrum uocabulum ponatur, et *animans* poni, quippe quae notio sit latius patens, pro *animali*. sed numquam Lucretium *animal* scripsisse pro *animante* in eis carminis partibus, ubi philosophetur, statim monstrabo omnibus locis collatis.

Animanti Lucretium res anima carentes opponere modo dixi. hoc fit

III 571 corpus enim atque *animans* erit aër, si cohibere
sese anima atque in eo poterit concludere motus[14].

in hoc loco quoniam uera oppositio inest, necessario *animantem* dixit[15]. ubi autem non opponuntur res, sed enumerantur tantummodo siue partiuntur, non re fert, utrum *animans* dicatur an *animal*:

I 808 crescere non possint fruges arbusta *animantis.*

namque eadem *(primordia)* caelum mare terras flumina solem
I 821 constituunt, eadem fruges arbusta *animantis.*

---

14) In codicibus legitur: *animam serit aër, si* (Obl. *sic*) *cohibere sese* (Quadr. *esse) anima.* ad quae E. Goebelius (Quaestt. Lucret. crit. p. 25) haec animaduertit: 'In u. 571 *animans erit* Naugerii et Lambini correcta citius non cognoueris, quam arripueris, in proximo autem uersu Wakefieldi coniecturam *in se animam* haud scio an cupidius Lachmannus probauerit. nam neque corpus nec aër animam *in motus concludit* (!), sed ipsa anima in corpore nostro conclusa motus sensiferos mouetur, quod est u. 567, et poterit dici *in aëre se cohibere atque concludere* (perficere) *motus* (eos), *quos* etc., quare una litterula eiecta dicas mecum: *sese anima atque in eo poterit concludere motus* etc.' haec omnia cum uerissime sint disputata, ego quidem prorsus probo, fugere tamen non debebat Goebelium omnino eadem ratione iam Fabrum et Bentleium hunc locum emendauisse; emendationem nuperrime recepit in editionem suam Munro.

15) Huc referendus esset etiam I 774: *non animans non exanimo cum corpore ut arbos,* si Lucretianus haberi posset. sed expunxit eum recte Hugo Purmannus (Quaestt. Lucr., Lauban. 1858, p. 8), cuius uerba haec sunt: 'Quod uersum 774 Lucretianum non esse dicerem, duae mihi causae erant: quoniam necessarius non est neque ab omni parte emendatus. an arboris mentio, nisi ut uersus integer fieret, qua de causa facta sit, exponere ualeas? dubium igitur non est, quin doctus ille lector disputationem, quamuis absoluta esset omnibus numeris, ideo ut exemplorum copia etiam magis perspicuam redderet, inani studio ductus, cum arte rudis esset, uersu illo molestiore amplificauerit.' haec etsi uera sunt, grauissimum tamen uitium silentio praeteriit Purmannus: *exanimus* enim nullo pacto potest esse *anima carens* (hoc enim est *inanimus*), sed debet esse *anima priuatus, mortuus.*

V 80 . . . ad fruges augendas atque *animantis.*

I 744 aëra solem ignem terras *animalia* fruges.

Animans praeterea semper usurpatur, ubi agitur de eis, quae totius generis propria sunt, ut de sensu:

II 880 . . . *(natura)* hinc sensus *animantum* procreat omnes.

. . . quibus omnituentes
II 943 accensi sensus *animante* in quaque cientur[16]).

principio nequeunt ullius corporis esse
II 938 sensus ante ipsam genitam naturam *animantis.*

VI 984 . . . uarii sensus *animantibus* insunt.

de libera mouendi potestate:

II 256 libera per terras unde haec *animantibus* exstat,
unde est haec, inquam, fatis auolsa potestas,
per quam progredimur quo ducit quemque uoluntas?

de cibo capiendo:

I 194 nec porro secreta cibo natura *animantum*
propagare genus possit.

I 350 dissipat in corpus sese cibus omne *animantum.*

I 1038 . . . priuata cibo natura *animantum*
diffluit.

IV 643 . . . omnes quaecumque cibum capiunt *animantes.*

IV 856 . . . natura cibum quaerit cuiusque *animantis.*

---

[16]) Sic scribendum esse uidetur Purmanno duce (in Iahni Annalibus LXVII p. 673 sq.), cuius emendationem probauerunt E. Goebelius (Quaestt. Lucr. crit. p. 15) et Munro. codices: *quibus omne tuentes accensi sensus animantem quamque tuentur.* Lachmannus: *omnituentes* (ex Turnebi coniectura) *accensi sensus animantum concuterentur.* Bernaysius: *quibus omnicientes accensi sensus animantem quamque tuentur.*

deinde ubi de uniuerso genere disseritur eiusque communi natura:

II 669 ... *animantem* ex omnibus unam
ossa cruor uenae calor umor uiscera nerui
constituunt.

II 944 ... *animantem* grandior ictus,
quam patitur natura, repente adfligit.

... nilo minus ac manus et pes
III 97 atque oculi partes *animantis* totius extant.

III 266 quod genus in quouis *animantum* uiscere uolgo
est odor et quidam calor et sapor, et tamen ex his
omnibus est unum perfectum corporis augmen.

V 852 multaque tum interiisse *animantum* saecla necessest,

III 417 ... natiuos *animantibus* et mortalis
esse animos.

... at ea ratione sequetur
III 664 unam *animantem* animas habuisse in corpore multas.

item, ubi *genus* uocabulum ipsum siue aliud simile additur:

I 4 ... genus omne *animantum.*

II 1063 = V 431 terrai maris et caeli generisque *animantum.*

I 1033 ... gens *animantum.*

... si tanta est copia, quantam
II 1071 enumerare aetas *animantum* non queat omnis.

nusquam autem *generis animalium* mentio fit in Lucretii carminibus.

Contra *animal* (*ζῷον, thier;* in lingua Graeca non distinguitur *animal* ab *animante)* non artis est uocabulum, sed uulgaris appellatio, qua certae species significantur, ut equi, canes, uermes, cicadae, uel etiam homines. ubi *animal* usurpatur,

aliae species aliis opponuntur, quin etiam opponitur hominibus, *animans* uero minime homini opponi potest:

II 973 deniqne uti possint sentire *animalia* quaeque,
principiis si iam est sensus tribuendus eorum,
quid, genus humanum propritim de quibu' factumst?
scilicet et risu tremulo concussa cachinnant
et lacrimis spargunt rorantibus ora genasque [17]).

---

[17]) Hi duo ultimi uersus cum paulum mutati repetantur

I 919 *fiet uti risu tremulo concussa cachinnent*
et lacrimis salsis umectent ora genasque,

eos in primum librum male insertos esse probare conatus est Forbiger in Dissertatione de T. Lucretii Cari carmine, Lips. 1824, p. 47, quem tamen nemo secutus est eorum, qui ediderunt Lucretium: intactos enim reliquerunt illos uersus Lachmannus Bernaysius Munro, defendit contra Forbigerum is qui solus, nisi fallor, hanc quaestionem tractauit, H. Purmannus (Quaestionum Lucr. specimen, Vratisl. 1846, p. 43 sqq. 47. 64; *Neue beiträge z. krit. d. Lucr.* p. 12). nec tamen de Forbigeri sententia hoc quidem loco dici potest idem, quod Lachmannus ad IV 45 scripsit. itaque meum esse censeo uberius atque omnibus argumentis collatis ostendere Lucretium in primo libro hos uersus non potuisse scribere. nam Forbiger quidem dixerat eos abruptos et alienos esse; Lucretium uu. 914—917 omnia, quae antea in Anaxagoram dixisset, breuiter complexum omnem disquisitionem hac conclusione finire: denique, si Anaxagorae sententia probatur, omnis primordiorum notio prorsus tollitur et euanescit. iam languide et inepte illos uersus iocosos subici, cum ne uerbum quidem antecesserit, quo tale quid designaretur. At Purmannus quamquam absonos et alienos hos uersus esse negat, tamen concedit omnes illos 915—920 non utique necessarios esse nec Lucretium carmen retractantem eos seruaturum fuisse. nihilo setius Forbigeri illam disputationem omnem inanem appellat. uideamus igitur possimusne patrocinari Forbigero.

Primum fieri non potest quin offendamur asyndeto. in secundo libro eis, quae antecedunt, haec ipsa sententia praemonstratur; in primo, ut recte uidit Forbiger, nihil eiusmodi antecedit. inde uidere et certo scire licet hos uersus in altero libro prius scriptos esse, quam in primo, ubi facile — ut ita dicam — suturam agnoscas. uerum ubicumque ipse poëta uersus aliquos repetit, id ea arte facit, ut uix diiudicare possis, hic an illic prius fuerint scripti. deinde alia est horum uersuum ratio in primo libro, alia in secundo. in

V 1085 ergo si uarii sensus *animalia* cogunt,
muta tamen cum sint, uarias emittere uoces,
quanto mortalis magis aecumst tum potuisse
dissimilis alia atque alia res uoce notare!

---

secundo, sublata dictione poëtica, sententia haec est: 'facerent, quod homines ipsi faciunt'; in primo contra: 'facerent quaeuis absurda'. hoc poëta ipse admittere non solet, cuius in uersibus repetitis sententia utrobique semper una est et eadem. quod igitur in altero libro bene dictum erat de *hominum* primordiis, idem num in primo libro recte dici possit de *rerum* primordiis mihi perquam dubium est. sed neutra sententia conuenit eis quae antecedunt. non enim negabis hanc solam sententiam aptam esse: 'talia primordia omnino non sunt primordia'. omnia enim, quae inde a uersu 848 disputata sunt, pertinent ad u. 851, ubi talia primordia in ualido oppressu durare non posse dicuntur. hinc recte *pereunt* scriptum est u. 918 (repetitum ex 850). uerum cum iam primordia perire dicta essent, tum nullo modo addi potuit ea etiam cachinnare et flere. talia nemo scribere poterat nisi fatuus et desipiens. quoscumque porro uersus poëta ipse repetit, eos non mutat nisi in eis partibus, quae pendent e diuersa alterius loci natura. nam quod I 1026 *motus et coetus* legitur, contra V 428 *coetus et motus;* II 181 *naturam mundi*, contra V 199 *naturam rerum* et si quae sunt eius generis alia, ea neglegentiae debentur aut ipsius Lucretii aut librariorum. id ipsum dicit Purmannus (*Neue beitr*. p. 13), qui tamen tertiam uersuum mutandorum causam statuit eam, ut in posterioribus libris uersus priorum emendatiores repetantur. cui sententiae ego propterea assentiri non possum, quod non est credibile poëtam alibi formam emendatiorem posuisse, alibi formam minus emendatam intactam reliquisse. hoc loco interpolator ex memoria uersus adscripsit et insciens mutauit, cum *ora lacrimis umectare* non minus usitatum sit apud poëtas ueteres (cf. Verg. *Aen.* I 465. XI 90. Ouid. *mett.* IX 655. Stat. *Theb.* IV 591) neque *umectandi* uerbum ab ipso Lucretio alienum sit (IV 1186). nec latet quidnam id fuerit, quod stimulauit interpolatorem ad hos uersus in primum librum infulciendos. Anaxagorae enim doctrina, cui hanc ob causam homoeomeriae nomen impositum est, in eo potissimum nititur, ut

ossa, uidelicet, e pauxillis atque minutis
ossibus hic et de pauxillis atque minutis
uisceribus uiscus gigni sanguenque creari
sanguinis inter se multis coeuntibu' guttis

(Lucr. I 835) doceat. istum autem interpolatorem in Lucretio bene uersatum non fugit altero quoque loco de homoeomeria quadam quaeri,

. . . quoniam genus ipsa *(terra)* creauit
V 820 humanum atque *animal*[18]) prope certo tempore fudit
omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim,
aëriasque simul uolucres uariantibu' formis.

II 532 . . . rara uides magis esse *animalia* quaedam,

i. e. quasdam animalium species, e quibus ipse statim elephantum nominat.

huc accedit ut in summa res nulla sit una,
unica quae gignatur et unica solaque crescat,
quin aliquoiu' siet saecli permultaque eodem
II 1080 sint genere. in primis *animalia* sint docimento[19]):
inuenies sic montiuagum genus esse ferarum,
sic hominum genitam prolem, sic denique mutas
squamigerum pecudes et corpora cuncta uolantum.

---

cum homines e pauxillis atque minutis hominibus gigni dicantur; qua iocosa refutatione cum priorem locum carere aegre uideret, eam sedulo adscripsit.

[18]) Codices: *anima; animal* primum Marullum posuisse Lachmannus ait. Orellius (Eclogae poëtarum Latinorum [2] p. 55) *animans* praetulit. cum autem praeterea generis humani, quin etiam uolucrum mentio fiat, non dubito, quin *animal* rectius sit.

[19]) Ita sine dubio emendanda est codicum scriptura *animalibus indice mente,* quam qui receperunt apte explicare non potuerunt. Creechius in paraphrasi admodum libere interpretatur *ut uidere licet;* Wakefieldus *indicio mentis.* Lipsius emendare uerba sibi uisus est scribens *inice mentem,* quod C. Winckelmannus (*Beiträge z. krit. d. Lucr.*, Saliswed. 1857, p. 16) probat conferens u. 739 sq.; Wakefieldus spernit quidem hanc Lipsii coniecturam; nihilo minus ad eam suffulciendam testimonio uersus 1047 utitur. at nulla est causa cur mentis mentio fiat, cum res, de qua agatur, nullam habeat difficultatem, sed facillime a quolibet intellegatur. speciosa sane est Gronouii coniectura *inclite Memmi,* quam Lachmannus et Bernaysius expresserunt. sed tamen ea scriptura et longius recedit a codicum litteris nec omnes difficultates tollit. haereo enim in uerbis *in primis animalibus* neque quo modo interpretari possint uideo, nam de nouissime creatis cogitare non licet. quare rectius hunc locum sic scribi iudico: *in primis animalia sint docimento: docimento* enim scribi posse Fleckeisenus me monuit, nec legitur *monumentum* apud Lucretium sed ter *monimentum:*

. . . effetaque tellus
II 1151 uix *animalia* parua creat.

IV 114 . . . *animalia* sunt iam partim tantula, quorum
tertia pars nulla possit ratione uideri [20]).

. . . plurima debent *(simulacra fluere)*
IV 859 ex *animalibu'*; quae, quia sunt exercita motu,
multa per os exhalantur, cum languida anhelant,
multaque per sudorem ex alto pressa feruntur [21]).

quo loco *anhelant* ostendit poëtam de specie aliqua cogitasse;

IV 983 non homines solum, sed uero *animalia* cuncta

idem per somnia uidere dicuntur, quod uigilantes tractare solent. statim exempli gratia equos, canes, uolucres affert, nempe non omnibus animantibus somnia sunt, sed quibusdam tantum animalibus.

V 311. 329. VI 242. (hoc quidem postremo loco Lachmannus quod est in codicibus *monimenta* reiecit et *lamenta* scripsit, sed eum hoc male fecisse consentiunt Bergkius [in Iahni Annal. LXVII p. 326] Goebelius [Quaest. Lucr. p. 26] Munro.) sic sententia bene procedit et litterae codicum quam religiosissime seruantur, nam *animalibus* propter uicinam *primis* male irrepsisse facile apparet. item II 943 postquam ex *animante in* factum est *animantem*, etiam *quaque* mutatum est in *quamque* (uide annotat. 16 supra p. 24).

[20]) Lotzio, qui (Philologi VII p. 733 sq.) uersus proximos respiciens scribi uult *extera pars,* assentiri non possum, neque hic quicquam mendosum esse duco.

[21]) Hac uersuum transpositione Lachmannum recte hunc locum emendasse nec felicem fuisse Munronem puto, qui uersuum ordine, qualis est in codicibus, seruato, sublata tantummodo plena distinctione huic loco mederi conatus est sic scribendo:

. . . quae, quia sunt exercita motu,
multaque per sudorem ex alto pressa feruntur,
multa per os exhalantur, cum languida anhelant,
his igitur rebus rarescit corpus . . .

V 790 nam neque de caelo cecidisse *animalia* possunt,
nec terrestria de salsis exisse lacunis:
linquitur ut merito maternum nomen adepta
terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.
794 multaque nunc etiam existunt *animalia* terris.

in proximis uersibus et qui antecedunt et qui secuntur quadripedum, pennipotentum, uolucrum, cicadarum mentio fit, quas species respiciens poëta *animalia* scripsit. postremo loco simillimi sunt hi:

. . . *(ligna et glaebae)* cum sunt quasi putrefacta per imbres
uermiculos pariunt, quia corpora materiai
antiquis ex ordinibus permota noua re
II 901 conciliantur ita ut debent *animalia* gigni.

. . . credere cogunt
II 870 ex insensilibus, quod dico, *animalia* gigni.
quippe uidere licet uiuos existere uermes . . .

sunt autem duo alii loci, ubi de hac eadem generatione aequiuoca, quam nostri philosophi uocant, exponit, nec de *animalibus* loquitur, sed de *animantibus,* quod mirum cuipiam uideri possit, non tamen temere factum est meo quidem iudicio, sed certa quadam ratione:

et quibus ille modis congressus materiai
fundarit terram caelum mare sidera solem
V 69 lunaique globum; tum quae tellure *animantes*
extiterint.

unde cadauera rancenti iam uiscere uermes
III 718 expirant atque unde *animantum* copia tanta
exos et exanguis tumidos perfluctuat artus?
quod si forte animas extrinsecus insinuari
uermibus . . . credis . . .

priore loco nulla animalium species nominatur, sed *animantes* quodam modo inanimis illis rebus opponuntur; posterior autem

locus eo differt a superioribus, quod his uersibus quaeritur de *animandis* uermibus, de animis eis extrinsecus insinuandis, quam ob rem fortasse substantiuum quod dicitur uerbale praetulit poëta.

Iam locum adeamus, ubi aeque ac V 820 philologorum est diiudicare, utrum *animal* scribatur an *animans*, cum scriptura ueterum librorum mutilata sit:

nam certe ex uiuo Centauri non fit imago,
IV 738 nulla fuit quoniam talis natura *anima* . . .

hic primus Lambinus et post eum Lachmannus et Bernaysius *animalis* scripserunt. Goebelius autem quod (Quaestt. Lucr. p. 25) postulat, ut *animantis* scribatur, errare uidetur uir sagacissimus nec satis graues sunt quas affert rationes. primum ad uersum IV 856 prouocat supra exscriptum, qui tamen cum dissimillimus sit, nihil ad rem ualet, nam illic de cibo capiendo agitur, quae res omnibus anima praeditis communis est. deinde pergit: 'Nam neque aliter nisi plurali numero dixit *animalia*, nec placet eiusdem soni repetitio. ad euitandum autem eiusmodi ὁμοιοτέλευτον hunc uersum Vergilii (*Aen.* II 56) et codicum auctoritas et Seruius sic legi iubet: Troiaque nunc *staret*, Priamique arx alta *maneres*.' at quod ingratum fuit Vergilii auribus, num idem necesse est Lucretium fastidiuisse? unius certe equidem recordor huius poëtae uersus, in quo eadem est soni similitudo I 318:

saepe salutantum tactu praeterque meantum

neque dissimilis est V 125:

quid sit uitali motu sensuque remotum.

nec dubito quin, si quis id agens quaerat, plures eiusdem generis sit inuenturus. praeterea non uideo, qua ductus ratione Lucretius de industria abstinuerit singulari numero *animalis*, sed casu factum esse persuasum habeo, ut praeter illum locum

non amplius semel exstet V 820, ac ne hoc quidem loco in codicibus inueniatur, qui *anima* praebent, de qua re supra dixi. Munro in praefatione haec dicit: 'Nam in singulari numero utitur Lucretius adiectiuo *animalis*, substantiuo *animal* non utitur.' quae uerba, si recte intellego, ita accipienda uidentur, ut Lucretius singulari numero adiectiui uti dicatur, non item substantiui; aliam enim causam, cur adiectiui mentio facta sit, non uideo. — Facere tamen non possum quin ualde mirer, quod nec Goebelius nec Munro de uersu V 820 quicquam commemorauerint, ubi legitur sine controuersia *animal* singulari numero neque aliter in ipsius Munronis editione, qui ut sibi constaret, Orellio auctore *animans* scribere debebat. num forte hoc adiectiuum putat esse, ut sit idem quod *animale* et ad *genus* referatur? de qua re fortasse disserit in maiore editione, quae prodiit a. 1864, cuius copiam mihi non esse doleo. utique exspectandum est dum discam, quid illi de eo de quo quaerimus uersu sentiant. interim tentabo probare, u. 738 quarti libri *animalis* recte scribi. agitur de Centauro, i. e. de animali ab hominibus, non a natura efficto. (nam quae statim addit poëta u. 739 sq., ea hoc loco omittere licet.) paucis uersibus ante de Scylla et Cerbero dictum erat. inde a u. 700 libri secundi poëta docet monstra naturam parere non posse, non posse

702 semiferas hominum species existere, et altos
interdum ramos egigni corpore uiuo,
multaque conecti terrestria membra marinis,
tum flammam taetro spirantis ore Chimaeras
pascere naturam per terras omniparentis.

cuius rei causis expositis sic pergit:

II 718 sed ne forte putes *animalia* sola teneri
legibus hisce, eadem ratio res terminat omnis[22]).

---

[22]) Codices: *legibus his quedam* (Quadr. *quidam) ratio disterminat omnis*. Lachmannus Marullum secutus: *quaedam ratio disterminat*

similem rem tractat inde a u. 887 libri quinti:

> ne forte ex homine et ueterino semine equorum
> confieri credas Centauros posse neque esse,
> aut rabidis canibus succinctas semimarinis
> corporibus Scyllas, et cetera de genere horum.

tum paullo post:

> qui fieri potuit, triplici cum corpore et una,
> prima leo, postrema draco, media ipsa, Chimaera
> ore foras acrem flaret de corpore flammam?
> quare etiam tellure noua caeloque recenti
> talia qui fingit potuisse *animalia* gigni,

eum significat non dubitaturum esse multo absurdiora dicere. his satis probatum esse opinor recte scribi IV 738: *talis natura*

---

omnia. Bernaysius: *legibus hisce, eadem ratio disterminat omne.* Bouterwekius (Lucretianae quaestt. p. 15): *legibus his, mundum ratio disterminat omnem.* Munro: *hisce, ea res ratio disterminat omnis.* ex his quod Bernaysius scripsit *hisce* uerissimum est et assensi sunt ei praeter Munronem Purmannus (Iahni Annales LXVII, p. 673) et Gulielmus Christius (Quaestt. Lucr., Monachii 1855, p. 12). uerum hi uiri omnes Bernaysium primum huius emendationis auctorem esse opinantur, cum idem reposuerit iam a. 1847 Iacobus Roosius Groninganus (Dissertatio crit., continens annotat. ad Lucretii poematum libros tres priores p. 41), qui tamen, quo facilius corruptionis origo cognosceretur, antiquiore nimirum scribendi ratione usus *hisque* exarauit. praeterea *omnia* probarem quod placuit Marullo et Lachmanno, si in codicibus legeretur. at sine codicum auctoritate equidem non audeo huiusmodi quid scribere. quam ob rem etiam I 1098:

> *neue ruant caeli penetralia templa superne*
> *terraque se pedibus raptim subducat et* o m n i s
> *inter permixtas rerum caelique ruinas*
> *corpora soluentes abeant per inane profundum,*

pro Lachmanni scriptura *omnia,* cum Bernaysianum illud *omne* probari non posse Goebelius docuerit (Quaestt. Lucr. p. 29), Bouterwekium sequendum esse censeo, qui u. 1100 *abeat* emendari et *omnis* ad *terram* referri iubeat. hoc autem secundi libri loco cum Goebelio facio, qui (l. d. p. 11 et 29) omnibus ceteris emendationibus anteponit coniecturam Lambini scribentis *eadem ratio res terminat omnis.* cf. I 1000: *mare terras terminat omnis.*

animalis, nisi forte exsistent qui non posse Lucretium *animali* singulari numero uti demonstrent. ipsum adiectiuum *talis* meam confirmat sententiam; hoc enim uocabulo illa notio artioribus finibus circumscribitur et uix crediderim Lucretio licuisse *talis animans* dicere de certa bestia.

Vt *talis* adiectiuo notio artioribus finibus circumscribitur, ita

III 388 nec repentis itum cuiusuis cumque *animantis*
sentimus, nec priua pedum uestigia quaeque,
corpore quae in nostro culices et cetera ponunt —

cuiusuis cumque uocabulum indicio nobis est poëtam hanc notionem quam latissime patere uoluisse nec ipsum iam de specie quadam cogitasse, quo factum est, ut *animans* dici potuerit, etiamsi breui post culices commemorantur.

Pauci sunt loci reliqui quos iam afferam. modo dixi de eo qui est in libro quinto de Centauris et Chimaera. paucis uersibus interiectis haec leguntur:

nam quod multa fuere in terris semina rerum
V 914 tempore quo primum tellus *animalia* fudit,
nil tamen est signi mixtas potuisse creari
916 inter se pecudes compactaque membra *animantum*,
propterea, quia quae de terris nunc quoque abundant
herbarum genera ac fruges arbustaque laeta
non tamen inter se possunt complexa creari.

u. 914 *animalia* dicit, quia singulas species respicit, u. autem 916 *animantum*, primum, quod non de certis quibusdam generibus agitur, sed de fictis, uel potius de talibus, quae ne fingi quidem possunt, quo fit, ut notio perquam uaga sit latissimeque pateat; deinde, quia rem similitudine stirpium probat, quarum eadem sit atque animantum condicio. fit ergo oppositio animantum et stirpium, quae sunt inanimae.

Hic afferendus esse uidetur locus, ubi ueri simillimum est *animans* uocabulum restituendum esse. legitur in codicibus

V 875 sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo
esse queunt duplici natura et corpore bino
ex alienigenis membris compacta, potestas
hinc illinc par uis ut non sit (*Quadr.* sat) pars esse potissit.

de his Lachmannus: 'Ex hac, inquit, uerborum abundantia quid tolli debeat uix certo dici potest.' itaque cum uix cuiquam contingere posse uideatur, ut ipsa Lucretii uerba reponat, quaerendum est, quid sit et aptissimum sententiae et poëta dignum. Lachmannus scripsit: *potestas hinc illinc partis ut si par esse potissit*, 'ut membra hinc inde parta negaret pari potestate esse posse.' Bernaysius: *potestas hinc illinc parilis quis non superesse potissit;* at uix crediderim ullum librarium *superesse* uocabulum mutaturum fuisse, id si a poëta positum esset; Munro: *potestas hinc illinc uisque ut non sat par esse potissit.* denique Ernestus de Leutschio (Philologi XII p. 292) aliam emendandi uiam ingressus est. cui cum *potestas* suspitionem moueret, quod adscriptum esse ducit aut ad *uis* uocabulum aut ad *potissit* (an non irrepsit potius propter uersum sequentem similiter desinentem?), uersum ita mancum refici posse ait, quod eadem sententia infra u. 916 (quo de loco modo diximus) repetatur; scribendum enim hic quoque *ex alienigenis membris compacta animantum.* quod ego imprimis propterea probandum esse duco, quod illud *compacta* sine suo genetiuo non uidetur conuenire sermoni Lucretiano, addito autem genetiuo talia adiectiua neutra Lucretio usitatissima sunt. ita Leutschius iure sibi uisus est uiam muniuisse ad emendandum uersum 878, quem ipse non tetigit. cum autem necessario requiratur haec sententia: *als ob ein theil des einen körpers einem theile des andern entsprechen*, *angemessen sein könnte,* quam proxime ad uerum me accedere existimo hac emendatione: *hinc illinc parti ut par si pars esse potissit.* eadem

syllaba bis terue posita in eodem uersu prorsus ex usu Lucretiano est; cf. I 610: *cohaerent partibus arte.* 667: *si parte reparcent.* 1000: *mare terras terminat omnis.* 642. II 131. 640. 964 alia. et ne cui *ut si* alio uocabulo disiunctum offensioni sit, affero IV 991: *ut uestigia si teneant.* VI 161: *ceu lapidem si percutiat lapis.*

Mireris forsitan, quod in his

V 852 multaque tum interiisse *animantum* saecla necessest,

non *animalium* scripserit. sed cum de aetate telluris antiquissima loquatur, nominatim afferre non potest ea animantum saecla, de quibus admodum uagam tantum cogitationem sibi finxit. hinc factum ut illa notione uteretur latius patenti.

In secundo libro Lucretius postquam cauere nos iussit ne sensilia credamus primordia et ob eam rem mollia et mortalia, sic pergit:

sed tamen esto iam posse haec aeterna manere:
nempe tamen debent aut sensum partis habere
II 909 aut simili totis *animalibus* esse putari.
at nequeant per se partes sentire necessest;
sensus enim sensus membrorum respuit omnis [23],

[23]) In codicibus quod scriptum legitur: *namque alios sensus membrorum respuit omnis,* uerum esse ex recentioribus philologis unus, quod sciam, contendit Winckelmannus (*Beitr. z. krit. d. Lucr.* p. 13), sic interpretans: *denn die gesammtempfindung lässt nicht zu, dass die einzelnen theile des leibes von ihr verschiedene empfindungen haben.* at recte C. F. Hermannus (Philologi III p. 511) *omnis* uocabulum suum requirere substantiuum docuit. Lachmannus sic disputat: 'Negat poëta membra singula seorsum sentire posse, quippe quae ad aliud referantur, hoc est ad animam.' quapropter scripsit: *namque alio sensus membrorum respicit omnis.* huius tamen sententiae grauitas abhorret a simplici Lucretii oratione, qui, si tale quid dicere uoluisset, certe *animam* scripsisset, hic autem Lachmanni uersus, quamuis optimus sit, Lucretio ipsi, qui poëta quidem egregius, sed infelix philosophus fuit, Heraclito dignus uisus esset. quare non erat cur Goebelius (Quaestt. Lucr. p. 14) assentiretur Lachmanno: quamquam ne illam

nec manus a nobis potis est secreta neque ulla
corporis omnino sensum pars sola tenere.
914 linquitur ut totis *animantibus* adsimulentur.
sic itidem quae sentimus sentire necessest[24]),
uitali ut possint consentire undique sensu.
qui poterunt igitur rerum primordia dici
918 et leti uitare uias *animalia* cum sint,
919 atque *animalia* sint mortalibus una eademque?

---

quidem emendationem ueram esse puto: *nam ratio sensus membrorum respuit omnis,* quam Goebelius improbans, Purmannus (Iahni Annales LXVII p. 673) probans per errorem Bernaysio tribuunt, cum iam a. 1848 a C. F. Hermanno proposita sit. Hermannus, quae commendat, sic interpretatur: *der begriff der glieder sträubt sich gegen alle sinnesthätigkeiten, die ihnen getrennt von ihrem ganzen beigelegt werden.* quod si uera esset Hermanni emendatio, sic profecto *rationis* uocabulum intellegi oporteret, nec liceret de mente cogitare, quam Lucretius ad confirmanda dicta sua testari propterea non solet, quod eam et nihili aestimat et ullam uim habere negat ad ueritatem cognoscendam, quae omnis ex sensibus apta sit. cf. I 422—425. 693 sqq., imprimis 699 sq. III 361. IV 476 sqq. 518 sq., Epic. ap. Diog. L. X 31 sq., u. Zelleri *Die philosophie d. Griechen* III, 1² p. 361. sensus enim cum horum locorum nonnullis, tum aliis multis eos esse autumat, qui omnem dubitationem tollant. hinc illa *uidere licet* et *manifestae res docent* sexcentiens in eius carminibus leguntur (quemadmodum apud Epicurum τὰ φαινόμενα). at *rationis* uocabulo sic posito *membrorum* genetiuus bis esset cogitandus copulandusque et cum uoce *ratio* et cum *sensus,* id quod fieri posse uix crediderim. sed cur non existimabimus hoc quoque loco Lucretium ad sensus relegauisse legentes? dubitari non potest quin poëta scripserit: *sensus enim sensus membrorum respuit omnis.* ad hoc *sensus* uocabulum grammaticus quidam uetus haud insulse adscripsit: *namque alius,* i. e. hic sensus alius est, scilicet communis, qui commemoratur I 422: *corpus enim per se communis dedicat esse sensus.* hac ipsa adnotatione Lucretii uerba corrupta esse ueri simile est. uersui autem illa ratione restituto optime conueniunt ea quae secuntur.

[24]) Rectissime hic uersus, qui est in codicibus 923, a Bernaysio huc translatus est; Goebelius autem, qui huic rationi repugnat (Obseruatt. Lucr. p. 39 et Quaestt. Lucr. p. 14 sq.) mire fallitur, cum uersibus 920—923 de generando et pariendo agi opinetur, quod falsum esse iam a. 1847 docuit Oppenriederus (Quaestt. Lucr. p. 15 sq.)

quod tamen ut possint, at coetu[25]) concilioque
921 nil facient praeter uolgum turbamque *animantum*.

uu. 909 et 914 ex eorum numero sunt, ubi nil interest, utrum *animal* an *animans* dicatur, quod autem priore loco *animalis* nomen praetulit, in eo cauillatio perquam lenis sita esse uidetur, quam tamen poëta pro elegantia sua u. 914 repetere noluit. quod autem uu. 918 et 919 primordia ipsa *animalia* uocat, ea plena et grauis derisio est, cui simillima est ea, quae inest in uu. 976 sq., ubi, si rem spectamus, homines esse primordia dicuntur. iam si uim significationemque uocabuli respicimus, u. 921 scribendum erat *animalium*. at ibi ioci ratio utique aliud uocabulum requirebat.

Simplex condicio est uersus

I 1061 et simili ratione *animalia* suppa uagari
contendunt[26]).

agitur de altera siue auersa terrae parte. antipodum quos Graeci dicunt exempli causa animalia affert, quia ita libuit. poterat etiam homines afferre, minus autem apte animantes, cum non loquatur de natura, sed de extera quadam condicione, quae sub sensus cadat.

Vnus superest locus hic:

IV 675 uerum aliis alius *(odor)* magis est *animantibus* aptus,
dissimiles propter formas.

---

25) Sic recté Lachmannus; at quod Marullo tribuit *ab coetu;* id in cod. Vict. exstare *(ab cetu)* Christius testis est (Quaestt. Lucr. p. 7).

26) Hic uersus cadit in antipodas, uersu autem 1060 agitur de simulacris rerum in aqua conspicuis. ille igitur cum superioribus iungendus, ab altero autem plena distinctione secernendus est. Lachmannus et Bernaysius, qui hos duos uersus arte coniungunt et alterum quoque de simulacris in aqua apparentibus scriptum esse opinantur, quod est in codicibus *et simili* transformant in *adsimili*. rem recte perspexerunt cum omnes fere ante Lachmannum, tum post eum Christius (Quaestt. Lucr. p. 15) et Munro.

quo quidem loco uis omnis ad singulas species animalium redit, ex quibus apes uulturii canes anseres dicuntur in eis uersibus, qui statim secuntur. cum autem tota hac quaestione me probauisse existimem talibus locis *animalis* nomine Lucretium uti, tum meo iure postulare mihi uideor, ut hoc quoque uersu *animalibus* scribatur [27]. —

[27]) Post I 15 in plurimis exemplaribus ante Lachmannum editis hic uersus legebatur: *illecebrisque tuis omnis natura animantum,* quem Lachmannus recte, ut uidetur, Marullum infulsisse dixit, nam ne in Victoriano quidem codice exstare uidetur, ut conicio ex Leonardi Spengelii verbis (*Gel. anzz. d. k. bayer. akad. d. wiss.* 1851 p. 773), quamquam in his rebus Lachmannus, cum codicibus Italicae familiae uti non posset, facile falli poterat. certe alius uersus: *nunc ratio reddenda augmen cur nesciat aequor,* quem Lachmannus ad VI, 608 ab eodem Marullo fictum esse dicit, in codice Victoriano legitur, in rasura quidem, sed in ipso contextu teste Bouterwekio (Lucr. quaestt. p. 46). huius uersus me iure rationem non habuisse nemo negabit. Lachmannus autem alium errorem, quem magis mireris, commisit. ait enim Naugerium et Lambinum hunc uersum seruasse. at id non factum esse ab Naugerio Lambinus haud ambigue scribit neque hac in re fallitur. ipse autem, quamquam seruauit uersum, tamen obelo notauit animaduertens amicum suum hunc uersum a Marullo factum esse censere, qui tamen Lucretio dignissimus ipsi uideatur. simili errore ductus Lachmannus ait Naugerium V 241 scripsisse *natiuo ac mortalibus;* immo scripsit *natiuo, mortalibus,* eumque errorem H. Sauppius (Commentatio de T. Lucretii codice Victoriano, Gottingae 1864, p. 9) Lachmanni subtilitate fretus repetiit. nec minus falsum est quod dicit VI 469 Naugerium scripsisse *et sensus;* re uera enim legitur apud illum *ad sensum.* deinde errorem notaui Lachmanni, cum dicat Lambinum III 433 *nam procul hinc dubio* emendauisse. is enim scripsit *nam procul haec dubio,* quod etiam Goebelium (Obseruatt. Lucr. p. 30) fugit. nec edidit Lambinus VI 600 *imque,* ut Lachmannus et Wakefieldus narrant, sed *idque.* — Quae hic de Naugerio dixi certo affirmare possum. Lambini uero tertia editione anni 1570 utor, i. e. eadem, qua se usum esse Lachmannus in Commentario p. 13 scribit; in hac autem editione neque in contextu illi uersus ita leguntur, ut eos legi Lachmannus dicit, neque in eis, quae Lambinus ad illos uersus explicandi gratia adscripsit. nisi forte Lambinus aliis locis ita scripsit, quod etsi nescio, cum non totum eius commentarium propter hos locos perscrutatus sim, tamen ueri simile esse non puto, cum ne in tabula quidem erratorum quicquam eiusmodi legatur. at

Neminem fugiet hunc usum Lucretianum paulo diuersum esse ab eo, quem explicat Doederlinus in Synonymis, quamuis exiguum sit discrimen. magis pertinent ad Lucretium ea, quae idem uir doctus de *ferarum* nomine disputat, sed hac quoque in re paululum differt sermo Lucretianus. prorsus autem in errore uersatur Gifanius, qui in Conlectaneis haec scripsit: 'Ita uocat animantes omnes rationis expertes, etiam eas, quae minime sunt ferae aut immanes; ut sunt oues, canes etc.' primum enim nusquam Lucretius animalia mansueta *ferarum* nomine significauit, qua in re Lucretii sermo discrepat a Ciceroniano (cf. *de off.* I 16, 50). deinde non id erat premendum, animantes esse rationis expertes; quod quamquam uerum est, tamen haec uis non est ea, quae maxime emineat. denique uero, si hoc premeretur, accuratius definiendum erat, quae esset *ratio:* ratio enim hic non est uis cogitandi, sed uis recte agendi.

Fera (*θήρ, das wild*) primum apud Lucretium est id animal, quod homines uenantur:

I 404 . . . canes ut montiuagae persaepe *ferai*
naribus inueniunt intectas fronde quietes.

IV 678 . . . fissa *ferarum*
ungula quo tetulit gressum permissa canum uis
ducit [28]).

---

quamquam non puto me temere egisse, tamen haesitanter ausus sum affirmare Lachmannum in his rebus errasse, et uehementer cupio refelli. tantum autem abest, ut his erroribus enumeratis Lachmanni laudes minuere animum inducam, ut efferre eas mihi uidear, cum non plus quinque illos errores me inuenisse profitear, qui circiter quadringentiens Lachmannum aliarum editionum scripturas recte exscripsisse ipse inuenerim. — Similes errores nonnullos etiam alii Lachmannum admisisse scripserunt, ut Goebelius in Museo Rhen. XV p. 404, 412, 414 sqq. – Cf. quae sub finem huius libelli de numero paginarum archetypi adiciam.

[28]) Ita scripsi Th. Bergkio auctore (Iahni Annales LXVII p. 330). coniunctiuum in codicibus exstantem et a Bernaysio probatum *tulerit*

IV 991 ut uestigia si teneant inuenta *ferarum.*

V 964 consectabantur siluestria saecla *ferarum.*

huc referenda sunt animalia, quorum pellibus antiquissimis temporibus homines ad uestiendum utebantur:

V 951 ... spoliis corpus uestire *ferarum.*

huic loco apte additur is, ubi poëta *ferino* adiectiuo utitur, quod semel legitur:

V 1416 pellis item cecidit uestis contempta *ferinae.*

hae bestiae montes et siluas incolunt:

unde etiam fluuios frondes et pabula laeta
II 597 montiuago generi possit praebere *ferarum.*

V 201 inde auide partem montes siluaeque *feraeque*
possedere [29]).

---

non posse probari optime ostendit Winckelmanni interpretatio, quam protulit ea de causa, ut commendaret coniunctiuum: *'der hund führt dahin, wohin nach seiner vermuthung das wild sich gewandt hat.* at poëtae interest eiusmodi exemplis uti, de qualibus nulla dubitatio relinquatur. hoc cum perspiceret Lachmannus, *dicit* praetulit. at Lucretius si translatione uti uoluisset, eum uerbo usurum fuisse putauerim, cuius splendidior quasi color esset, quam simplex *dicere.* quare Bergkii emendatio certe est ueri simillima. *tetulerunt* legimus VI, 672.

[29]) Codices: *inde auidam partem montes siluaeque ferarum possedere.* Lachmannus: *aliquam partem!,* quod Bergkius (Iahni Annales LXVII p. 324) non temere durissimum appellat. ipse proposuit: *diuiduam partem montes silvaeque feraeque possedere.* alteram huius emendationis partem facile probabis Bergkioque assentiere affirmanti *silvas ferarum* prorsus insolenter dictum esse. alteram partem his uerbis commendat: 'Vt dixerit poëta dimidiam terrae partem occupatam esse montibus, siluis, paludibus, mari: rursus ex eis quae supersint duas partes uel propter frigus uel propter aestum inhabitabiles esse, ut uix sexta pars hominibus ad colendum sit concessa.' difficile sane plerumque est Bergkio non assentiri; at hoc loco non uideo, qua de causa existimet dimidiam partem dixisse Lucretium. immo maiorem partem eum putasse occupatam esse montibus et locis

ut nunc montibus e magnis decursus aquai
V 944 largu' citat late sitientia saecla *ferarum*[30]).

VI 1218 ... nec tristia saecla *ferarum*
exibant siluis.

harum bestiarum magna pars carne uescitur et idcirco insidiatur aliis bestiis atque hominibus:

II 604 adiunxere *feras (i. e. leones, cf.* 601).

II 877 ... nostro de corpore saepe *ferarum*
augescunt uires et corpora pennipotentum.

... fore ut aut putescat corpore posto
III 870 aut flammis interfiat malisue *ferarum.*

III 878 corpus uti uolucres lacerent in morte *ferae*que.

---

eiusdem generis confirmatur u. 203: *et mare, quod late terrarum distinet oras* et re ipsa, nam quantum terrae ueteres nouerunt, id certe non eiusmodi erat, ut dimidia pars coli posset. nec, ut ita dicam, arithmetice diuisisse uidetur poëta. cum enim ueteres uulgo putarent ex quinque zonis siue plagis duas esse habitabiles (Verg. *geo.* I 237. Ouid. *mett.* I 50), Lucretius hanc nimiam diuidendi subtilitatem spernens ex tribus unam habitari posse ait. nihilo minus sentirem cum uiro doctissimo, si codicum litterae facile sic legi possent; id uero nec fieri potest nec *inde* uocabulum, quod aptissime positum est, male irrepsisse ueri simile est. quare Bernaysii emendationem amplector, qui *auide* scripsit, eamque praeferendam esse censeo Purmanni coniecturae *amplam* (Iahni Annales LXVII p. 677) et Munronis *auidei.*

30) Codices: *claricitati a te.* ex hoc Forbiger effecit *claru' citat late,* quam emendationem ante Lachmannum Orellius et Siebelis (Quaestt. Lucr., Lips. 1844, p. 21) probauerunt. Lachmannus quidem nouum uerbum effinxit *clarigitat,* sed praeter Bernaysium neminem noui, qui ei assensus sit. tale autem uerbum nec posse fingi nec, si posset, idoneam uim habere luculentissime docuit Ritschelius in Indice scholarum Bonn. a. 1854—55. ipse scribi iubet *largu' citat,* quam emendationem commendat collatis his locis: V 281. I 1031. 282. 412. V 866. assensus est Goebelius (Quaestt. Lucr. p. 26) neque potest quisquam dubitare, quin illud uerum sit. nihilo setius Munro, quamuis eum Ritschelii emendatio non fugerit, Forbigeri coniecturam praefert.

III 886 nam si in morte malumst malis morsuque *ferarum*
tractari . . .

V 39 . . . ad satiatem terra *ferarum*
nunc etiam scatit et trepido terrore repleta est
per nemora ac montes magnos siluasque profundas.

V 218 praeterea genus horriferum natura *ferarum*
humanae genti infestum terraque marique
cur alit atque auget?

V 865 nam cupide fugere *(oues boues equi) feras.*

V 980 . . . quod saecla *ferarum*
infestam miseris faciebant saepe quietem.

unus enim tum quisque magis deprensus eorum
V 989 pabula uiua *feris* praebebat.

VI 198 . . . *(uenti)* in caueisque *ferarum* more minantur.

multaque humi cum inhumata iacerent corpora supra
VI 1214 corporibus, tamen alituum genus atque *ferarum*
aut procul absiliebat . . .

eiusdem fere generis sunt eae bestiae, quae in proeliis adhibebantur, ut homines lacerarent atque necarent, uelut apri leones tauri, quae tamen parum idoneas se praebebant:

V 1336 diffugiebat enim uarium genus omne *ferarum.*

hoc genus inprimis magnitudine corporum excellit:

. . . *(tellus)* quae cuncta creauit
II 1152 saecla deditque *ferarum* ingentia corpora partu.

quin elephantus ipse ex ferarum numero est, cum hunc quoque uenentur homines:

. . . India quorum
milibus e multis uallo munitur eburno,
II 539 ut penitus nequeat penetrari: tanta *ferarum*
uis est.

amat poëta distributionem, quae uocatur (*διαίρεσιν* siue *μερισμόν*), qua *animantis* notionem uberius describit; tum *feras* ex quadrupedum genere maxime ab armentis aliisque pecudibus, siue saeua animalia a mansuetis distinguit, id quod *ferarum* notio poscit:

. . . e terra posset oriri
squamigerum genus et uolucres erumpere caelo:
I 163 armenta atque aliae pecudes, genus omne *ferarum*
incerto partu culta ac deserta tenerent.

praeterea[31]) genus humanum mutaeque natantes
II 343 squamigerum pecudes et laeta armenta *ferae*que
et uariae uolucres.

prorsus eandem distinctionem obseruat Verg. *geo.* III 242 sqq. et IV 223, item Stat. *Theb.* X 141.

II 922 . . . ut nequeunt homines armenta *ferae*que
inter sese ullam rem gignere conueniundo.

II 1081 inuenies sic montiuagum genus esse *ferarum,*
sic hominum genitam prolem, sic denique mutas
squamigerum pecudes et corpora cuncta uolantum.

IV 1189 nec ratione alia uolucres armenta *ferae*que
et pecudes et equae maribus subsidere possunt.

V 228 at uariae crescunt pecudes armenta *ferae*que.

---

[31]) Codices *praetere;* horum correctores antiquissimi et Nonius *praeterea.* quamquam uera sunt, quae Lachmannus de usu *praeterea* uocis disputat, tamen quod in eius locum substituit *parturiunt,* ut poëta dicat: 'omnes animantes sui generis fetus edunt, eosque figura corporum dissimili': id non potest uerum esse; hanc enim sententiam aptam esse nego. equidem assentior Purmanno (Iahni Annales LXVII p. 672), qui ante hunc uersum lacunam esse censet. idque eo probabilius est, quo minus post *debent* (u. 340) poëtae licuit exempla afferre, nisi antea dixisset: 'et ut debet esse, ita re uera est.' quare ne Munronis quidem emendationem probo, qui scripsit: *praestat rem,* ubi insuper *rem* displicet.

V 1057 cum pecudes mutae, cum denique saecla *ferarum*
dissimilis soleant uoces uariasque ciere.

nonnullis autem locis, ubi non interest, ut eleganter uocabula distinguantur, *ferarum* nomen positum inueniri per comprehensionem siue συνεκδοχήν pro toto animalium uel quadrupedum genere non est quod mireris. huius generis hi sunt loci:

III 774 denique conubia ad Veneris partusque *ferarum*
esse animas praesto deridiculum esse uidetur.

IV 684 . . . eoque modo seruantur saecla *ferarum*.

IV 1256 . . . more *ferarum*
quadrupedumque magis ritu plerumque putantur
concipere uxores.

sic homini quoque opponitur hoc nomen, nec tamen eo sensu, ut omnis uis nitatur in eo, quod ferae rationis sint expertes, sed simpliciter per comprehensionem:

I 254 hinc alitur porro nostrum genus atque *ferarum*.

II 598 quare magna deum mater materque *ferarum*
et nostri genetrix haec dicta est corporis una.

(uersu proxime antecedente ferarum mentio facta erat.)

II 995 . . . *(terra parit)* genus humanum, parit omnia saecla *ferarum* [32]).

esse alios aliis terrarum in partibus orbis
II 1076 et uarias hominum gentis et saecla *ferarum*.

---

[32]) Siue hoc uersu Empedoclem (115 Stein. = 141 Krstn. = 96 Strz.: *γίγνοιτ' ἄνθρωποί τε καὶ ἄλλων ἔθνεα θηρῶν*) imitatus est Lucretius, ut Hallierus affirmat (Lucretii carm. e. fragm. Emped. adumbrata p. 13) siue Euripidem *(Chrysippi* fragm. 836 Nauck.: *τίκτει θνατούς . . . φῦλά τε θηρῶν*), ut Reisackero uidetur (Quaest. Lucr. p. 45): hoc certum est *ferarum* uocabulo Graecum *θῆρες* interpretatum esse Lucretium.

. . . terrarum milia multa,
IV 411 quae uariae retinent gentes et saecla *ferarum.*

omnibus locis, quos adhuc attuli, *ferae* nomine quadrupedes significari possunt. unus autem est locus, ubi de serpentibus usurpatur:

naribus alipedes ut cerui saepe putantur
VI 766 ducere de latebris serpentia saecla *ferarum.*

Duo denique supersunt loci, ubi ferae uocabuli uis in eo potissimum ponitur, ut sint rationis expertes:

III 751 desiperent homines, saperent fera saecla *ferarum.*

V 929 uolgiuago uitam tractabant more *ferarum.*

mihi quidem non est dubium, quin his quoque locis *ferarum* nomen per comprehensionem usurpatum sit; at utut res se habet, Gifanium uehementer errare manifestum est, neque adiectiuum *ferus* poëta ita usurpatur, ut Gifanius opinatur. est enim *atrox*, *durus* et quasi *proteruus* et *insolens*. *fera* enim apud Lucretium uocantur *fata* V 1338, *mors* VI 1136 (ex Lachmanni praeclara coniectura, cui Munro temere et inepte scripturam Macrobianam praetulit), *moenera militiai* I 29 et *belli moenera* I 32, *uapor* I 491, *ferri corpora* (prima) II 103, *tela* II 49, *adactus dentis apri* V 1328, *centaurium* (propter saporem) II 400, *fructus* (non mansueti colendo) V 1366; sed bis tantummodo de animalibus usurpatur, ubi *potest* quidem esse *ratione carens*: III 751: *desiperent homines, saperent fera saecla ferarum,* et I 14: *inde ferae pecudes persultant pabula laeta.* at horum quoque locorum posterior aliter interpretandus est: sunt enim *ferae pecudes* boues oues caprae cetera eius generis animalia, quae nondum sunt mansueta. hoc plane docet Varro *r. r.* II 1, 5: *etiam nunc in locis multis genera pecudum ferarum sunt aliquot, ut in Phrygia ex ouibus . . .; ut in Samothrace caprarum . . .*

de suibus nemini ignotum, nisi qui apros non putant sues uocari. boues perferi etiam nunc sunt multi in Dardania et Media et Thracia. asini feri in Phrygia et Lycaonia. equi feri in Hispaniae citerioris regionibus aliquot. et II 2, 2: *e feris enim pecudibus primum dicis oues comprehensas ab hominibus ac mansuefactas.* quae quidem uocabuli uis apta sane est et conueniens toti primi libri Lucretiani prohoemio. nam ubi non sunt mansuetae pecudes, appetitus eorum et impetus indomiti sunt et effrenati, hos autem ipsos impetus et appetitus et quae eos mouit Venerem illic canere uoluit poëta. qui negat sic *feras pecudes* recte esse explicatas, is facere non poterit, quin Bentleio auctore *ferae et pecudes* scribat, quam coniecturam Lachmannus ne commemorat quidem, scilicet, quia recte perspexit loci rationem. — Cum igitur possit esse idem ac rationis expers, quod equidem minime nego, non tamen est neglegendum, quod recte Doederlinus docet, *rationem* hoc loco non tam esse cogitandi uim, quam recte uiuendi potestatem, qua iusti, aequi, boni simus, qua leges condamus atque ciuitatem. ad mores igitur pertinet.

Vt *fera* est animal homini infestum, sic *pecus (pecudis)* animal est homini obsequens et utile. non carne uescuntur pecudes, sed foliis ac gramine, omninoque *laetis* pabulis, et magna pars mansuefacta est. ne *pecudis* quidem nomen a Lucretio sic usurpatur, ut id prematur, quod hae bestiae sint rationis expertes, quamquam apud alios scriptores saepissime hac ui legitur, ut apud Cic. *in Cat.* II 9, 20. *ad Att.* I 16, 6. *de off.* I 30, 105.

Primum animalia mansueta *pecudes* uocantur:

I 163 armenta atque aliae *pecudes,* genus omne ferarum.

I 257 hinc fessae *pecudes* pingui per pabula laeta
corpora deponunt, et candens lacteus umor
uberibus manat distentis.

III 52 et nigras mactant *pecudes.*

a feris igitur seiunguntur:

V 1057 cum *pecudes* mutae, cum denique saecla ferarum
dissimilis soleant uoces uariasque ciere.

etiam singula mansuetorum animalium genera hoc nomine significantur, ut oues, caprae:

V 863 lanigeraeque simul *pecudes* et bucera saecla.
omnia sunt hominum tutelae tradita.

. . . tondentes pabula laeta
II 318 lanigerae reptant *pecudes.*

lanigerae pecudes praeterea lègimus II 662, *lanigeras pecudes* VI 1234, *balantum pecudes* II 369, *barbigeras pecudes* V 897. deinde omnino sunt pecudes, quarum carne uesci solemus:

uertunt se fluuii frondes et pabula laeta
II 876 in *pecudes*, uertunt *pecudes* in corpora nostra.

hinc etiam apud Varronem (*Sexagessis* fragm. XXI Ries.) aues, apud Vergilium (*geo.* IV 327) apes, apud Lucretium pisces inter pecudes sunt:

praeterea genus humanum mutaeque natantes
II 343 squamigerum *pecudes* et laeta armenta feraeque,
et uariae uolucres.

II 1083 squamigerum *pecudes.*

cf. Plauti *Pseud.* 834: haec ád Neptuni pécudes condiménta sunt: terréstris pecudes cícimandro cóndio. — Videtur Lucretius eis uersibus, ubi, ut II 343, de pecudibus armentis feris agitur, *pecudum* nomine omnia cetera animalia intellegi uoluisse, quae homini utilia nec infesta sunt:

nec ratione alia uolucres armenta feraeque
IV 1190 et *pecudes* et equae maribus subsidere possunt.

V 228 at uariae crescunt *pecudes* armenta feraeque.

deinde latius patente notione pecudes hominibus opponit, ut nos dicimus *menschen und vieh:*

VI 243 *(fulmina possunt)* exanimare homines, *pecudes* prosternere passim.

. . . unde repente
mortiferam possit cladem conflare coorta
VI 1090 morbida uis hominum generi *pecudum*que cateruis,
expediam.

. . . *(pestilitas)* fruges persidit in ipsas
VI 1125 aut alios hominum pastus *pecudum*que cibatus.

huc etiam referendus est uersus

I 116 an *pecudes* alias diuinitus insinuet se

anima hominis. hic enim non metuo ne Wakefieldus cuiquam persuadeat homines quoque e pecudum numero esse. illud *alias* enim intellegendum est ita, ut Odyss. β 412: *μήτηρ δ' ἐμὴ οὔ τι πέπυσται, οὐδ' ἄλλαι δμωαί,* quem usum Ameisius ad Odyss. α 132, Naegelsbachius, Adnott. ad Il. Π 191, edit. tertiae, Kruegerus, Gramm. Gr. 50, 4, 11 recte explicauerunt. multa exempla inueniuntur apud Ameisium et in Passovii Lexico s. u. ἄλλος 5. Latina exempla collegerunt Fabrius et Heerwagenus ad Liv. XXI 46, 9. — Per comprehensionem species pro genere posita est hoc uersu:

nil tamen est signi mixtas potuisse creari
V 916 inter se *pecudes* compactaque membra animantum.

et similiter intellegendus uidetur uersus de quo supra dixi

I 14 inde ferae *pecudes* persultant pabula laeta.

ubi tamen ea, quae supra attuli, non minus quam ipsa uerba *persultant pabula laeta* animalia gramine uescentia significari declarant.

Bis denique legitur apud Lucretium *pecus (pecoris)* neutri generis (*κτῆνος, βόσκημα, vieh*):

V 1108 et *pecus* atque agros diuisere (*reges*).

V 1289 et *pecus* atque agros adimebant.

id propius etiam accedit ad *pecuniae* uocabuli uim significatque pecudes, quibus homines utuntur, armenta iumenta greges, omnino mansueta animalia. —

Sunt autem apud Lucretium uocabula, quae maxime artis uocabula esse uideantur, sed tamen inita subductaque ratione hac specie priuentur. crebro quidem usu alicuius uocabuli neminem inductum iri spero, quamquam facilis et procliuis error est, cum talia uocabula usitatissima singulari potestate semperque eadem usurpata uidemus. quare paucis exponam, quid requiratur, ut artis uocabulum oriatur. ac primum quidem frequentia nullius est momenti; nam artis uocabula et possunt esse et sunt uel apud Lucretium uel apud alios, quae semel leguntur. cuius generis apud Lucretium est notum illud *clinamen principiorum*, quod nullo alio loco legimus nisi II 292 (Epicurus dixisse uidetur *παρέγκλισιν*: Stob. *ecll. phys.* I 19, 1, Cicero *de finn.* I 6, 19 interpretatur *declinationem*). est hoc artis uocabulum, quia usurpatur de re philosophiae Epicureae propria, eaque res ante Epicurum in Graeca, ante Romanos Epicuri interpretes in Latina lingua inaudita erat, ut Lucretius hoc uocabulum finxisse uideatur. at ne nouitatem quidem necessariam esse supra uidimus, quamuis nouam rem aptissime nouo uocabulo significari dixerim. de qua re recte iudicat Reinoldus Schubert (De Lucretii uerborum formatione, Halae 1865, p. 21), qui ad *coactus* substantiuum (II 273) adscribit: 'Verbum *coactio* ob id reiecisse uidetur, quia certo sensu iam exstabat, ut supra uidimus *petitus* eum praetulisse uoci *petitio*, quippe cuius uulgaris notio iam a propria significatione *petendi*

recesserat.' at etiamsi *coactus* uocabulum Lucretius ipse finxerit, tamen non est artis uocabulum, quia non ad ipsam philosophiam pertinet. potest tamen uox aliqua fieri artis uocabulum, etiamsi usitatissima in uulgari sermone sit, nec eius uis immutetur, si plures habet notiones — hoc autem in maximam partem cadit — quarum notionum una a scriptore philosopho ad artem adhibita certe et distincte definitur, unde euenit, ut postea uel nullo alio uocabulo addito a legentibus semper illa, quam definiuerat scriptor, ui ac potestate intellegatur. hac ratione *solidus* et *soliditas*, quibus Lucretius quod Epicuro est *στερεόν* et *στερέμνιον* et *ἀμέτοχον τοῦ κενοῦ* interpretatur, ab ipso artis uocabula facta sunt, quamquam Lucretianus horum uocabulorum usus a cotidiano nihil differt. namque quod aliis artibus et aliis siue humanae uitae siue naturae locis proprium est, idem potest interdum philosophiae proprium esse. philosophia enim a medicis, ab artificibus, a naturae, rerum diuinarum, iuris peritis multa illarum artium uocabula adoptauit, quae nunc philosophiae quoque uocabula sunt. haec omnia si comprehenderimus eo consilio, ut definiamus quid sit artis uocabulum, recte, ut opinor, statuemus artis uocabulum id esse, quo significetur notio distincta et definita, quae artis alicuius propria sit. hinc philosophiae uocabulum est id, quo notio philosophiae propria distincte et definite significatur; denique artis uocabulum Lucretianum intellegi potest ui latius patente, ut sit uocabulum notionem distinctam et definitam ac philosophiae propriam significans, quod legitur apud Lucretium. ita si definimus, etiam *homoeomeria* (I 830) et si quae sunt similia in horum uocabulorum numero sunt; aut artioribus finibus circumscriptum artis uocabulum Lucretianum est uocabulum notionem distinctam et definitam significans, quod philosophiae Lucretianae proprium est. sed cum interdum non sit facile diiudicare, quid sit philosophiae

Lucretianae aut quid sit definitum atque distinctum, fieri non potest, ut de omnibus uocabulis Lucretianis plane et omni dubitatione sublata dici possit, sintne artis uocabula an non.

Ita *uaporis* nomen apud Lucretium speciem quidem artis uocabuli quam maxime habet, tamen subtilius inquirenti dubium esse uix potest, quin haec species uana sit. ubicumque enim in his carminibus legitur, idem fere est atque *calor*, nusquam illud corpus aëris aquosum (*ἀτμός, dampf*, '*wasserdampf)*, uno loco excepto. de qua re ne dubitetur, omnes Lucretii uersus indicabo, ubi *uapor* legitur: I 491. 567. 663. 1032. II 150. 153. 844. 858. III 126. 215. 233. 339. IV 54. 88. 183. 199. 868. V. 236. 339. 383. 490. 567. 594. 597. 795. 813. 1093. 1100. VI 220. 236. 271. 275. 312. 842. 858. 870. 883. 903. 948. 952. 965. (eandem uim habet *uaporandi* uerbum uno illo loco, ubi legitur apud Lucretium V 1132.) etiam VI 868 si quod est in codicibus *uaporem* probes, id eandem uim habet. (Lachmannus enim et Bernaysius Lambino, ut uidetur, auctore *saporem* scripserunt, contra Goebelius Obseruatt. Lucr. p. 37 *uaporem* tuetur.) praeterea in codicibus legitur *uaporis* III 305, quod Marullus emendauit ut fieret *pauoris*. unus autem est locus, ubi *uapor* est *ἀτμός* siue potius *κνῖσα*, quem locum sic expressit Bernaysius:

III principio quoniam *(animam)* tenuem constare minutis
corporibus docui multoque minoribus esse
principiis factam, quam liquidus umor aquai
aut nebula aut fumus, iam longe mobilitate
praestat et a tenui causa magis icta mouetur.
[quippe ubi imaginibus fumi nebulaeque mouetur]
quod genus est, somnis sopiti ubi cernimus alte
exhalare *uaporem* altaria ferreque fumum.
[nam procul hinc dubio nobis simulacra geruntur]
nunc igitur quoniam quassatis undique uasis

diffluere umorem et laticem discedere cernis,
et nebula ac fumus quoniam discedit in auras,
crede animam quoque diffundi multoque perire
ocius et citius dissolui in corpora prima . . .

ab his autem codicum scriptura aliquantum recedit; habent enim 428 *nam*, 430 *mouentur*, quod a Marullo, 433 *haec* pro *hinc*, quod, ut uidetur, a Bentleio correctum est (u. supra adnotationem meam 27); praeterea 431 *in* pro *est* et *alta* pro *alte*, et 432 *uapore*. hic igitur *uapor* est *κνῖσα* siue nebula, nam *cernimus* de tactu non potest dici, atque *uapor et fumus* uersu 432 eodem redire necesse est quo *nebula et fumus* uu. 428, 430, 436. sed priusquam certum iudicium de hoc loco proponimus, ipsa uerba diligentius examinemus. primus igitur Lachmannus uidit uu. 430 et 433 adiectos esse ab interpolatore, neutrum enim argumento quicquam ponderis addere, Lucretium autem ipsum decere, cum de simulacris in quarto libro disputare statuisset, ante hunc librum ne nomine quidem simulacrorum uti. hoc tam perspicuum est, ut Goebelio (Obseruatt. Lucr. p. 30) assentiri nequeam, qui sic: 'Etsi iam supprimantur uerba, inquit, cogitando nihilo minus fiet simulacrorum mentio, quam tamen ne faciat ante librum quartum uetare penes nos non est.' *simulacrum* enim artis uocabulum est tale, quod intellegi non possit, nisi explicatum, quare iure Lachmannus demonstrauit eius locum non esse ante librum quartum. est autem in Goebelii sententia, quod uideatur uerissimum: 'Versus 430 et 433, inquit, propterea retinendos esse iudico, quod intellegi non potest, quanam *tenui magis causa* anima icta moueatur, ubi somnis sopiti uaporem fumumque ab altaribus exhalari cernimus, nisi de illorum imaginibus cogitamus.' hoc enim nemo, nisi qui parum attentus est, negabit, uu. 430 et 433 necessarios esse, si 431 et 432 genuini sunt et Lucretiani. quod autem Goebelius dicit ne hos quidem uersus,

qui sunt I 298 sqq. II 414 sqq. 854 sqq. plane intellegi posse nisi quarto libro perlecto, id quamuis equidem non negem, tamen hi loci ita sunt comparati, ut poëtae nihil re ferat legentesne uerba sua in praesentia ita intellegant, quemadmodum uulgo homines, qui non philosophantur, intellegere solent. contra hi duo uersus 431 et 432 omnino non possunt intellegi nisi ab eo, qui simulacrorum doctrinam teneat, nam qui haec legit non curat dormientes, quorum somnia nihil esse censet, nec potest somniorum exemplum id efficere, quod effici uult poëta, ut rem, quae difficilis sit intellectu omnibus eis, quibus lumina Epicureae philosophiae nondum sint orta, clariorem reddant; nam eo ipso consilio exempla afferri solent. itaque cum simulacrorum mentio fieri non possit, cumque uu. 431 432 intellegi nequeant nisi 430 433 additis, uel potius ne additis quidem intellegi possint, apparet omnes hos quattuor uersus 430—433 male insertos esse ab interpolatore. quod multo etiam ueri similius fit, si non editorum, sed codicum scripturam respicimus: *quod genus in somnis, sopiti ubi cernimus alta exalare uapore altaria ferreque fumum.* in his *uapore* quidem sine dubio non minus quam *mouentur* (430) et *haec* (433) menda sunt librariorum, qui, quod Lachmannus perspexit, *uaporem* scribere debebant. at quod idem docet latine non dici *quod genus ubi*, sed *quod genus est ubi*, id interpolator non curabat. idem *altaria ferre fumum* dicere poterat, quapropter non uidetur esse cur *alta* mutemus. huc accedit singularis illa *uaporis* nominis uis. quamquam enim non ausim dicere non potuisse Lucretium hoc uocabulo ita uti, ut sit *κνῖσα*, tamen iure offendor hoc loco, nec uidetur ullus scriptor Latinus ante Lucretium huic uocabulo aliam nisi *caloris* uim tribuisse. Ennius Plautus Terentius hoc uocabulo non sunt usi neque legitur in inscriptionibus illius aetatis. apud tragicos poëtas duos uersus Attii (112. 221) et unum Pacuuii (13 Ribb.) inueni, quibus quod

dixi confirmatur. Lucilii usum non noui. — Iam quoniam interpolatoris uerba emendauimus, uideamus num ipsius poëtae uerba recte sint tradita, namque Lachmannum uersu 428 e codicum scriptura *nam* fecisse *iam* supra dixi. hoc uero *iam* ingeniosum sane est, siquidem ea ratione singulae sententiae hoc optimo ordine procedunt: 'quia primordia animae minora sunt primordiis aquae, nebulae, fumi, etiam mobiliora sunt. atqui aqua, nebula, fumus facile diffluunt, ergo animae primordia etiam ocius et citius diffluere necesse est.' nihilo minus equidem Christio (Quaestt. Lucr. p. 11), Munroni (Journal for class. and sacred philol. I p. 33), Winckelmanno (*Beitr. zur krit. d. Lucr.* p. 19), qui nihil mutandum esse censent, assentior, motus praecipue loco simillimo IV 52 — 59 — 61, quem commodissime attulit Munro; at colo interpungendum est et ante *nam* et post *mouetur* (429).

Vapor igitur ubique in poëmate Lucretiano calor est, neque id ipsum *caloris* nomen ibi rarius legitur. quamquam non negauerim equidem intercedere aliquid discriminis inter uaporem et calorem apud Lucretium. de eo quidem calore, qui est in corpore humano, numquam utitur *uaporis* nomine, uelut II 670. III 128. 267. 269. at tam inter se similes sunt potestates horum uocabulorum, ut saepe alterum pro altero ponatur. quare, ubi quattuor elementa enumerantur, ignis *caloris* nomine significatur I 786, *uaporis* I 567. V 236; I 494 *calor*, VI 948 *uapor* permanat aes; nihil interest inter corpora *caloris* III 121 et corpuscula siue semina *uaporis* II 153. III 126. IV 868; de solis *calore* agitur I 807. IV 217. V 570. VI 514, de solis *uapore*, qui ab illo non differt I 1032. IV 183. 199. VI 236. plura eius generis afferre supersedeo. sed haud pauca alia sunt uocabula, quibus promiscue eadem res significetur, ut V 1260 aes liquefieri dicitur *calore*, VI 965 cera *uapore*, at I 492 aurum *aestu*, I 493 aes *flamma; aestus* frigori op-

ponitur I 300. V 926. VI 364, at II 517 *calor*, II 858. VI 948 *uapor*. sed *aestus* interdum tantummodo, ut par est, hanc habet uim; aliis locis (ut V 647) idem ualet, quod ab Epicuro δίνη uocatur, ut artis uocabulum sit. pro calore autem siue uapore interdum etiam alia uocabula ponuntur, ut *feruor ardor ignis radii flamma*. quorum uocabulorum cum tanta sit copia, id ipsum cautos nos esse iubet, ne putemus *calorem* et *uaporem* artis uocabula esse; quod si ita esset, aut prorsus pari modo poëtae usurpanda aut subtilius inter se distinguenda fuissent. sed neutrum fieri ex eis quae attuli manifestum est. nam *uapor* non dicitur humani corporis calor, cuius quidem uocabuli uim latius patere quam *uaporis* etiam libri tertii uersus 233 sq. ostendunt. nam aut ita statuendum est, aut ibi pro *calor* scribendum *uapor*, ne inuenuste ac prope insulse loquatur poëta. itaque neque *calor* nec *uapor* artis est uocabulum neque hoc mirum. omnes enim huiusmodi res inter se similes quae talibus uocabulis insigniuntur, qualia sunt *ignis flamma radii ardor feruor aestus calor uapor*, multis et uariis modis sensus hominum afficiunt, ut modo terribiles et dirae, modo magnificae et splendidae, modo beneficae et almae, modo uenustae et quasi petulantes esse uideantur. noluit igitur uariandi licentiam ac facultatem coërcere poëta. — Eadem ratione iudicandum est de multis illis *aquae* appellationibus, in quibus uix ulla artis uocabula inueniri poterunt. promiscue enim leguntur *aqua umor liquor latices ros lympha imber*, tum *mare aequor pontus pelagus*, tum *unda fluctus fluentum*, denique *sudor sucus uirus*. nimirum Lucretius poëta est philosophans, non philosophus uersificans.

Addam pauca de alia appellatione, quae quamquam ne ipsa quidem est ad artis uocabula referenda, tamen eam speciem non minus prae se fert quam *uapor*, dico *saeclum*. hoc non modo usitatissimum est huic poëtae (legitur enim in editione

Bernaysiana quadragiens quater), sed etiam peculiari quadam ui instruitur, quae apud ceteros scriptores rarissima est. plurimis enim locis animantium *genera* hoc uocabulo significantur, quae notio haudquaquam aliena est a philosophia. huc accedit quod Th. Mommsenus (Chronol. Rom. [2] p. 172 sq.) primam et propriam huius uocabuli significationem ad tempus refert, cum ducatur a *saepiendi* uerbo atque principio idem ualeat ac nostrum *kette von jahren*, ita, ut Lucretius a propria significatione recessisse uideatur. hanc autem *saecli* uocabuli originem ueram esse negat Franciscus Buechelerus in litteris ad Fleckeisenum datis, qui comiter mihi permisit, ut eis, quae Buechelerus de hac re secum communicauisset, hanc meam dissertationem ornarem. nolo in Latinum sermonem conuertere Buecheleri uerba, ne deteriora fiant, sed, ut ipse iecit, huc transcribam: 'Saeculum *steht zu* Saëturnus[33]) *und kommt von* sas, serere, *und da, wie gerade auch Saturns mythologie zeigt, bei Römern und Griechen nichts gewöhnlicher ist als das bild ἐπ' ἀρότῳ παίδων, saat* = *geschlecht*, saeculum = *γενεά. dies die erste bedeutung des worts: daher Lucret.* fera saecla ferarum, saecla hominum, bucera saecla = '*sprossen*', *worin dasselbe bild liegt,* '*geschlechter*'. *die zeitbedeutung ist entschieden die*

[33]) Hanc enim huius nominis formam ostendit inscriptio uasculi Italici CIL. I n. 48 p. 24: SAIITVRNI POCOLOM, hoc est *Saëturni pocolom.* hinc Ritschelius (De fictilibus litteratis Latinorum antiquissimis, Bonnae 1853, cap. I) et recte emendauit, quod est apud Pauli Festum p. 323 M.: *Sateurnum,* et hoc nomen a *serendi* uerbo ducendum esse docuit. *saeculum* et *Saturnum* unius stirpis esse iam Ph. Buttmannus (Mythologi II p. 59) suspicatus erat, qui statuit uetus uocabulum fuisse *saium* uel *saeum,* i. e. *aeuum, αἰών.* Ritschelium *saeculi* nominis ueram originem diuinasse ex his eius uerbis apparet (l. d. p. 8): '... nec hoc perspicimus, quomodo, si aeternitatis uetustatisue notionem *saeculum* uox habuit primitiuam, inde nasci generis uel generationis potestas potuerit, quam *saecla animantum, hominum, ferarum* cum similibus Lucretianis palam testantur.'

spӓteste, aus der andern ausfliessende. wegen der bedeutung vgl. iaculum = quod iacitur *u. a.*, *so* saeculum = quod seritur.' iam quam breuissime fieri potest omnes Lucretii locos examinemus, ut uideamus primum, huius uocabuli uim ad philosophiam non ita pertinere, ut artis uocabulum dici possit; deinde ut Buecheleri sententiam usu Lucretiano egregie confirmari, principalem tamen potestatem sensim ac paulatim in temporalem transiisse intellegamus.

Principalis uis et serendi quaedam similitudo maxime pellucet ex his locis:

multa uidemus enim rebus concurrere debere,
V 847 ut propagando possint procudere *saecla.*

I 597 nec totiens possent generatim *saecla* referre
naturam mores uictum motusque parentum.

generis autem notio luculentissime perspicitur hoc loco:

huc accedit ut in summa res nulla sit una,
unica quae gignatur et unica solaque crescat,
II 1079 quin aliquoiu' siet *saecli.* permultaque eodem
sint genere.

ubi ipse poëta *saeclo* et *genere* pari potestate utitur. prorsus eodem modo intellegendum est *muliebre saeclum* IV 1219 et V 1019; item *bucera saecla* V 863 et VI 1234; *nigra uirum saecla* VI 722 et 1107. horum locorum similitudine probatur idem uocabulum etiam in eis uersibus, ubi cum genetiuo pluralis numeri nominis animantis alicuius coniunctum est, hanc *generis* uim habere, quamquam ipse genetiuus pro idoneo huius rei testimonio esse non potest, sed potius e contextu pendet, quanam ui hoc uocabulum accipiendum sit. contextus autem in plurimis huiusmodi locis Lucretianis principali potestati fauet. sic V 852:

multaque tum interiisse animantum *saecla* necessest
nec potuisse propagando procudere prolem.

quo loco ii uersus, qui statim secuntur usque ad 874, perspicue docent non de uariarum aetatum animantibus agi, sed de uariis animantum generibus. dicit enim poëta alia genera fortitudine sua seruata esse, ut leones (et in his quoque *saecli* nomine utitur 859: *principio genus acre leonum saeuaque saecla tutatast uirtus),* alia astutia, ut uulpes, alia celeritate, ut ceruos, alia hominum cura, ut pecudes: redit igitur omnis res ad illud, quod Darwinus nuperrime *den kampf ums dasein* uocauit, qua ex pugna uaria animalium genera prodiisse docuit. omnino autem summa doctrinae illius Britanni a Lucretio illis uersibus occupata est. — Huc refero praeterea:

et partim mutant cum tempestatibus una
V 1082 raucisonos cantus, cornicum ut *saecla* uetusta . . .

II 995 *(terra mater parit)* genus humanum, parit omnia *saecla* ferarum.

quo loco supra (adnotat. 32) aut Empedocleum *ἔθνεα θηρῶν* aut, quod rectius esse uidetur, Euripideum *φῦλα θηρῶν* interpretatum esse Lucretium dixi.

. . . necesse est confiteare
esse alios aliis terrarum in partibus orbis
II 1076 et uarias hominum gentis et *saecla* ferarum.

. . . *(terra)* quae cuncta creauit
II 1152 *saecla* deditque ferarum ingentia corpora partu.

III 751 desiperent homines, saperent fera *saecla* ferarum.

. . . terrarum milia multa,
IV 411 quae uariae retinent gentes et *saecla* ferarum.

sic aliis alius nidor datus ad sua quemque
pabula ducit et a tetro resilire ueneno
IV 684 cogit, eoque modo seruantur *saecla* ferarum.

ut nunc montibus e magnis decursus aquai
V 944 largu' citat late sitientia *saecla* ferarum [34]).

V 964 *(homines)* consectabantur siluestria *saecla* ferarum.

V 980 sed magis illud erat curae, quod *saecla* ferarum
infestam miseris faciebant saepe quietem.

V 1057 cum pecudes mutae, cum denique *saecla* ferarum
dissimiles soleant uoces uariasque ciere.

naribus alipedes ut cerui saepe putantur
VI 766 ducere de latebris serpentia *saecla* ferarum.

VI 1218 . . . nec tristia *saecla* ferarum
exibant siluis.

neque ubi *mortalia saecla* legitur ad aetates spectat hoc uocabulum:

II 1153 haud, ut opinor, enim mortalia *saecla* superne
aurea de caelo demisit funis in arua.

sic noua tum tellus herbas uirgultaque primum
V 788 sustulit, inde loci mortalia *saecla* creauit
multa modis multis uaria ratione coorta.

V 802 tum tibi terra dedit primum mortalia *saecla* [35]).

---

[34]) Vide supra adnotationem meam 30.

[35]) Ita codices. Lachmannus, qui uidit post u. 798: *principio genus alituum uariaeque uolucres oua relinquebant* hoc loco *primum* non posse uerum esse, in eius locum *passim* substituit, quod recepit Bernaysius. Munro seruauit *primum* et *mortalia saecla,* ut 986 usurpatum esse ait de humano genere, non de omni genere animantum. quod non est credibile, cum paucis uersibus ante (788) eadem uoce omnes animantes significentur. nec *passim* uerum esse uidetur. primum enim non uideo, cur terra passim mortalia saecla peperisse dicatur, *postquam* uolucres peperisset; nam *tum* particula utens poëta continuat orationem, quam *principio* uoce instituit; quasi uolucrum partus ceteris partibus uiam aperuisset! deinde offendor eo, quod poëta, postquam passim terram mortalia saecla dedisse dixit, ex horum turba unum hominem eiusque primum partum describit. at nihil mu-

V 986 nec nimio tum plus quam nunc mortalia *saecla*
dulcia linquebant labentis lumina uitae.

V 1167 quippe etenim iam tum diuom mortalia *saecla*
egregias animo facies uigilante uidebant.

denique sub pedibus tellus cum tota uacillat
concussaeque cadunt urbes dubiaeque minantur,
V 1236 quid mirum, si se temnunt mortalia *saecla*?

nec magis de tempore cogitari potest his locis:

I 20 efficis ut cupide generatim *saecla* propagent.

II 173 . . . *(uoluptas)* blanditur *saecla* propagent,
ne genus occidat humanum.

aut genus humanum iam tum foret omne peremptum,
V 1025 nec potuisset adhuc perducere *saecla* propago.

tum color et facies hominum distare uidentur
VI 1111 largiter et morbi generatim *saecla* tenere.

aperte *generis* uim habet uno illo loco quo est de rebus inanimis:

II 1113 corpora distribuuntur et ad sua *saecla* recedunt,
umor ad umorem, terreno corpore terra
crescit, et ignem ignes procudunt aëraque aër.

dubia esse potest significatio uocabuli V 339:

quod si forte fuisse antehac eadem omnia credis,
sed periisse hominum torrenti *saecla* uapore . . .

sed collato V 852 non dubito, quin *saecla* sint genera. — Quod autem dixi propriam *saecli* uim sensim et paulatim apud Lucretium in temporalem transiisse probatur loco qui est II 78,

---

tandum est, sed omnia bene procedunt hoc uersu post 793 transposito. hoc si fit, u. 803 illustratur *tempus uernum*, cuius mentio fit 799, nam 800 801 quasi in parenthesi adduntur.

ubi, quamquam certe *genus* significatur, tamen temporis notio quaedam admiscetur:

augescunt aliae gentes, aliae minuuntur,
inque breui spatio mutantur *saecla* animantum
et quasi cursores uitai lampada tradunt.

magis ad tempus spectant duo alii loci, in quibus tamen principalis uis non plane exstincta est:

III 627 pictores itaque et scriptorum *saecla* priora
sic animas introduxerunt sensibus auctas.

III 965 materies opus est, ut crescant postera *saecla.*

qui locus quo modo intellegendus sit docet u. 963: *ex aliis aliud reparare necessest.* at ubi Lucretius primum *saecli* nomine spatium temporis designat, ibi *uitalis* adiectiuo addito opus esse censuit, ut recte intellegeretur:

I 202 multaque uiuendo uitalia uincere *saecla.*

duo autem exstant loci, ubi prorsus ut posteriores scriptores *saeclum* omisso illo adiectiuo temporis spatium esse uult:

III 946 omnia si pergas uiuendo uincere *saecla*
atque etiam potius, si numquam sis moriturus.

III 1088 proinde licet quotuis uiuendo condere *saecla:*
mors aeterna tamen nilo minus illa manebit.

Restant tres[36]) alii loci, de quibus equidem certum aliquid statuere non audeo. uersus libri II 500 sqq. in codicibus sic sunt scripti:

iam tibi barbaricae uestes Meliboeaque fulgens
purpura Thessalico concharum tecta colore
aurea pauonum rident imbuta lepore
saecla noua rerum superata colore iacerent . . .

---

[36]) Nam uersus II 1169, ubi in Oblongo est *saeclumque,* in Quadrato *saeculumque,* sine ulla controuersia recte emendatus est a Wakefieldo, qui scripsit *caelumque.*

in his *tacta* (Winkelmannus, *Beitr.* p. 12 praefert *infecta), ridenti*, *nouo* manifestae emendationes esse uidentur. cetera Lachmannus sic scripsit: *aurea, pauonum ridenti imitata lepore saecla;* Bernaysius: *caudaque pauonum ridenti imbuta lepore caeca nouo* . . .; Munro post u. 501 huiusmodi uersum intercidisse putat: *et quos ostendunt in solis luce colores.* Bernaysii ingeniosam coniecturam ualde infringi dicit Christius (Quaestt. Lucr. p. 4) capitulo '*De pauone*', quod in codice Victoriano additum sit ante u. 502 (deest enim in Leidensibus), comparato cum capitulo '*De cauda pauonis*' ante u. 806 posito. quam rem equidem non tanti fecerim. attamen nullam harum emendationum plane probare possum, quamquam Munronis quidem sententia, periisse uersum ante 502, multum habet probabilitatis.

Legitur denique *saecli* uocabulum I 467 et 469, de quibus locis non minus ambigo, cum mihi quidem omnes illi uersus grauius corrupti esse uideantur, quam aliis uisi sunt. a Bernaysio quidem sic scripti sunt:

denique Tyndaridem raptam belloque subactas
Troiugenas gentis cum dicunt esse, uidendumst
ne forte haec per se cogant nos esse fateri,
467 quando ea saecla hominum, quorum haec euenta fuerunt,
inreuocabilis abstulerit iam praeterita aetas:
469 namque aliud saeclis, aliud regionibus ipsis
euentum dici poterit quodcumque erit actum.

in codicibus autem u. 469 non est *saeclis*, quae est Bernaysii emendatio, sed *terris.* iam primum quae Winckelmannus ad defendendam hanc scripturam affert (*Beitr. z. krit. d. Lucr.* p. 3), ea ego quidem non intellego. tum Lambini coniectura *rebūs*, quam sic explicat: 'Quidquid actum est, euentum esse uel rebus, id est personis, uel regionibus,' tam audax est, ut refutatione non egeat. sed ne Lachmanni quidem coniectura

per sest habet quo probetur. nam et sero fit hoc loco haec distinctio et *ipsis* offensioni est. Bernaysius quod supra legimus *saeclis* scripsit, quod Christius (Quaestt. Lucr. p. 12) probat, improbat Purmannus (Quaestt. Lucr., Laub. 1858, p. 5, ubi etiam Lachmanni coniecturam uberius refutat), qui recte monet *saecla* uix posse sic nude poni falsamque esse disiunctionem. atque ne hac quidem emendatione recepta quid sibi uelit *ipsis* intellego. Purmannus Lambino assentitur, *rebus* tamen latius patere uult intellegens 'res, quibus materies certa forma descripta exhibeatur.' Munro scripsit *Teucris*. at mihi quidem nulla eiusmodi disiunctio uidetur de Lucretii sententia posita esse. sed sunt eodem loco alia, quae corrupta esse ducam. ac primum quidem *ipsis* male se habet, siue Bernaysii siue aliorum emendationem sequare. deinde in Bernaysii coniectura id est offensioni, quod non genetiui *saeclorum* et *regionum* scripti sunt, sed *saeclis* et *regionibus* (cf. I 450 *horum euenta*; 481 sq. *euenta corporis atque loci*). tum uersus 467 468 non id efficiunt, quod efficere debent. sententia enim haec est: Helenae raptus et bellum Troianum non possunt esse per se, quia homines, quorum euenta haec fuerunt, longo ante tempore perierunt. at etiamsi nostris haec gererentur temporibus, euenta essent, neque uero essent per se. hos igitur duos uersus ab otioso grammatico additos esse eo magis ueri simile est, quod *abstulerit* coniunctiuus uix potest tolerari, quamquam nemo philologus adhuc eo offensus est. nam ubicumque *quando* a Lucretio usurpatur, numquam non, ut par est, cum indicatiuo ponitur (I 188 = II 707. I 206. 263. 495. II 966. III 384. 544. V 233. 412), nec uideo, quare huius loci ratio a ceteris differat. uersus 469 470 ab interpolatore factos esse quominus contendam, non tam Nonius prohibet, qui altero uersu utitur, quam quod mihi in eis latere uidetur aliquid, quod uere Epicureum sit, quodque fortasse erit qui coniectura

erunt. haec enim meo quidem iudicio sententia apta est: *namque aliud euentum dici poterit tempus, aliud, quodcumque in temporibus actum erit.* quae sententia si insit in uersibus, ut opinor, corruptis, Lucretius magistri decretum, tempus esse *σύμπτωμα συμπτωμάτων* (Stob. *ecll. phys.* I 8, 40. Demetr. ap. Sext. Emp. *adu. math.* X 219), expresserit. sed cum mihi non contigerit, ut inueniam, qua ratione hic totus locus emendandus sit, ne ad *saecli* quidem uocabuli uim definiendam dubia haec uerba adhibere audeo. certe ea, ut nunc leguntur, interpretamenti haud dissimilia sunt. uideant igitur me sagaciores doctioresque, Goebelius, Bergkius, Purmannus, quorum merita in Lucretium emendandum maxima sunt, atque qui etiamnunc pulcherrimis eius carminibus restituendis operam dant.

DE NVMERO PAGINARVM CODICIS ARCHETYPI LVCRETIANI

Quoniam supra (in adnotatione 27 p. 39) de Lachmanni erroribus mentio incidit, hoc addam. uir ille summus admirabili sagacitate e ratione codicum, qui ad nostram aetatem seruati sunt, archetypi rationem enucleauit, quem, quod omnes philologi sciunt, initio commentarii accuratissime descripsit. illic rationes, e quibus ea omnia cognouerit, omittit iubetque commentarium suum perlegi. quod qui fecerit uidebit Lachmannum de archetypi paginarum numero disputauisse his locis: ad I 733 sq. 1098. II 253. 600. 659. 757. IIII 357. IV 126. 144. 323. V 928. VI 563. 839. 1225. 1273. praeterea respicienda sunt, quae animaduertit p. 7 et quae adscripsit ad capitula inde a p. 426. (cum his conferatur Goebelius in Ob-

seruatt. Lucr. p. 6 sqq.) summam autem calculi sui comprehendit p. 3 his uerbis: 'Id exemplar ceterorum archetypon constitit paginis CCCII, quarum non tantum prima et ultima, sed praeterea centesima nonagesima, quae erat post finem libri quarti, conscriptae non fuerunt: item una in libro primo uacua fuit relicta: in reliquis fuerunt uersus uigeni seni, in ultima libri cuiusque pauciores.' iam si hunc calculum examinauerimus atque omnia, quae Lachmannus statuit, concesserimus, inueniemus omnia rata esse et conuenientia praeter id unum quod dixit paginam ultimam non fuisse conscriptam. (nam quod p. 7 et 233 commentarii sui dicit schedae duodeseptuagesimae paginas inuersas esse, cum hoc potius acciderit schedae sextae et septuagesimae: id nihil est nisi lapsus calami.) usque ad uersum libri sexti 839 omnia rectissime se habent. in eis quae ad u. 840 obseruat, statuit ante hunc uersum unam archetypi schedam periisse. necesse igitur est a u. 840 uel potius a capitulo ante u. 840 posito non modo nouam paginam sed etiam nouam schedam incepisse. uersum autem 839 ultimam paginae huius libri tertiae et trigesimae fuisse ipse Lachmannus dicit. quod si tenemus, non potest uerum esse, quod Lachmannus scribit ad VI 1273: uersus 1274 ultimus erat non schedae undequinquagesimae, sed quinquagesimae libri sexti; nam uersibus MCCLXXIV si adnumerantur XXVI capitula, quae sunt in sexto libro, efficiuntur uersus MCCC, qui explent quinquaginta paginas, non undequinquaginta. (ergo in eo quoque errat Lachmannus, quod dicit ad u. 1225: hic uersus non est paginae libri sexti duodequinquagesimae, sed undequinquagesimae.) iam inde a u. 840 ad uersum 1274 sunt uersus poetae CCCCXXXV et capitula VII, qui sunt CCCCXLII uersus siue XVII paginae, quarum si prima fuit recta, quod supra demonstraui, etiam ultimam paginam rectam esse necesse est. huius autem septimae decimae paginae ultimus uersus erat

u. 1274. ergo postremi XII uersus libri sexti (1275—1286) fuerunt in pagina uersa siue sinistra, quae fuit libri sexti una et quinquagesima, totius autem codicis trecentesima. sin autem illam quoque schedam addimus, quae periit ante u. 840, ultimi XII uersus fuerunt in pagina trecentesima altera: haec igitur non fuit uacua.

VERSVS LVCRETIANI

IN QVIBVS EMENDANDIS AB EDITIONE BERNAYSIANA DISCESSI.

II.

Schulnachrichten.

Uebersicht

des

öffentlichen von Ostern 1865 bis Ostern 1866 ertheilten Unterrichts.

Prima. (Cursus zweijährig.)

Ordinarius: Rector Professor Dr. Scheibe.

a. Religionslehre. Die Grundlehren von Gott und dem Menschen und dem Verhältnis beider zu einander. Einfluss der Religion auf die gesammte Ausbildung des Menschen. Wöchentlich 2 Stunden. Michael.

b. Lateinische Sprache. Cic. or. Philipp. I. II. Taciti Agricola. Scripta (nach Seyfferts Materialien), Aufsätze und Extemporalien. W. 6 St. Scheibe. Horatius Episteln mit Einschluss der ars poëtica. Plautus Trinummus. W. 2 St. Fleckeisen.

c. Griechische Sprache. Sophokles Elektra und Antigone. W. 2 St. Scheibe. Isokrates Panegyrikos. Demosthenes Olynth. I. II. und Philipp. I. III. Syntax, Scripta, Extemporalien. W. 4 St. Pfuhl.

d. Deutsche Sprache. Schriftliche Aufsätze. Freie Vorträge. Geschichte der deutschen Litteratur vom Schluss der mittelhochdeutschen Blüthezeit bis zur Sturm- und Drangperiode, verbunden mit Lectüre (namentlich Klopstocks, Wielands und Lessings). Im Sommer w. 3 St., im Winter w. 2 St. Menzel.

e. Französische Sprache. Die drei ersten Perioden der französischen Litteraturgeschichte. Anfang der vierten. Corneille. Mündliche Uebersetzungen. Extemporalien und freie Aufsätze. W. 3 St. Schuman-Leclercq.

f. Englische Sprache. Grammatik (Kades Anleitung zum Uebersetzen). Mündliche und schriftliche Uebersetzung der Uebungsaufgaben

bis zu der Lehre vom Modus, nebst Uebersetzungen aus Kades Uebungsstücken. Lectüre: Herrigs British Classical Authors, und zwar „The Rivals" von Sheridan, und „The Lady of the Lake" von Sir W. Scott, nebst auserlesenen Stücken von Coleridge und Byron. Conversation. W. 2 St. Sherwood.

g. Geschichte. Neuere Geschichte, erste Hälfte. Repetition der alten Geschichte. Im Sommer w. 2 St., im Winter w. 3 St. Menzel.

h. 1) Stereometrie. Gleichheit der Polyeder und Berechnung des Volumens derselben. Krumme Oberflächen. Berechnung des Volumens der von krummen Oberflächen begrenzten Körper. W. 2 St. Klein.

2) Arithmetik. Combinationslehre. Binomischer und polynomischer Lehrsatz. Progressionen. Figurierte Zahlen. Kettenbrüche. Diophantische Gleichungen des ersten Grades. W. 2 St. Klein.

i. Physik. Optik. W. 2 St. Klein.

k. Philosophische Propädeutik. Sommer: Psychologie. Winter: Logik. W. 1 St. Polle.

Secunda. (Cursus zweijährig.)

Ordinarius: Conrector Professor Dr. Fleckeisen.

a. Religionslehre. Die hervortretendsten Züge der Religions- und Kirchengeschichte mit besonderer Rücksicht auf das Verhältnis zwischen Christenthum und Bildung. W. 2 St. Michael.

b. Lateinische Sprache. Ciceros Reden für Sextus Roscius, über den Oberbefehl des Cn. Pompeius und gegen Verres Buch IV. W. 2 St. Livius Buch XXIV und Sallustius Jugurthinischer Krieg. W. 2 St. Vergilius Aeneis Buch VIII—XI. W. 2 St. Scripta (nach Seyfferts Uebungsbuch), Aufsätze und Extemporalien. W. 2 St. Fleckeisen.

c. Griechische Sprache. Lysias Reden mit Auswahl. W. 2 St. Grammatik (nach Krüger), Scripta (nach Halms Anleitung II. 1) und Extemporalien. W. 2 St. Fleckeisen. Homers Ilias I—V. W. 2 St. Scheibe.

d. Deutsche Sprache. Schriftliche Aufsätze. Freie Vorträge. Declamationsübungen. Geschichte der alt- und mittelhochdeutschen Litteratur (erste Hälfte), verbunden mit Lectüre, namentlich des ersten Theils des Nibelungenliedes. Lectüre aus der neueren Litteratur: Schillers Fiesco und Goethes Hermann und Dorothea. Metrik. Im Sommer w. 3 St., im Winter w. 2 St. Menzel.

e. Französische Sprache. Grammatik nach Noël und Chapsal 24. u. 25. Capitel. Mündliche Uebersetzungen. Extemporalien und schriftliche Uebersetzungen. Lectüre: Vinet Chrestomathie française. W. 3 St. Schuman-Leclercq.

f. Englische Sprache. Grammatik nach Kades Anleitung bis zum vierten Buche. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen. Lectüre: Herrigs British Classical Authors, und zwar „Duke of Monmouth" von Macaulay, Junius „Letters"; die Reden von Chatham und Burke; Prisoner of Chillon, von Byron. W. 2 St. Sherwood.

g. Geschichte. Mittelalter, erste Hälfte. Repetition der alten Geschichte. Im Sommer w. 2 St., im Winter w. 3 St. Menzel.

h. 1) Stereometrie. Untersuchung der Lage von Ebenen und Geraden gegen einander. Bestimmungssätze stereometrischer Gebilde und Abhängigkeit der Bestandtheile derselben von einander. W. 2 St. Klein. 2) Arithmetik. Allgemeine Potenzlehre (binomischer Lehrsatz nur für ganze positive Exponenten, Logarithmen). W. 2 St. Klein.

i. Physik. Einleitung. Allgemeine Eigenschaften der Körper. Grundlehren der Chemie. Wärmelehre. W. 2 St. Klein.

Tertia. (Cursus einjährig.)

Ordinarius: Tertius Professor Dr. Pfuhl.

a. Religionslehre. Eingehendere Behandlung des ersten Hauptstücks. Erklärung des zweiten. Einüben von Sprüchen, Katechismus, Liedern. W. 2 St. Michael.

b. Lateinische Sprache. Caesar bell. Gall. III—VII 31. Repetition der Hauptregeln der Syntax. Correctur der Scripta. Extemporalien. W. 6 St. Pfuhl. Ovidius Metamorphosen, Auswahl aus Buch XI—XV. W. 2 St. Fleckeisen.

c. Griechische Sprache. Xenophons Anab. I—III 2. Hom. Odyssee I 1—21. VI—IX 104 mit Auswahl. Grammatik, Scripta und Extemporalien. W. 6 St. Pfuhl.

d. Deutsche Sprache. Abriss der Poëtik. Lectüre ausgewählter Stücke aus Masius Lesebuch II, ferner des Schillerschen Wilhelm Tell und der Jungfrau von Orleans. Declamationsübungen und freie Vorträge. Alle drei Wochen ein Aufsatz. W. 2 St. Polle.

e. Französische Sprache. Grammatik nach Plötz von der 30. Lection bis zur 57. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen. Extem-

poralien. Declamation. Lectüre: Charles XII von Voltaire. W. 3 St. Schuman-Leclercq.

f. **Englische Sprache.** Grammatik nach Kades Anleitung bis zum Adverb. Schriftliche und mündliche Uebersetzung der im Lesebuche enthaltenen Aufgaben. Lectüre: Herrigs British Classical Authors, und zwar „King Lear" von Charles Lamb; „Ruth" von Wordsworth. W. 2 St. Sherwood.

g. **Geschichte.** Römische Geschichte. W. 2 St. Menzel.

h. Politische Geographie. Die wichtigsten geographischen Verhältnisse von Europa, Afrika, Amerika und Australien. W. 1 St. Ebert. Physische Geographie. Atmosphaerologie und Vulcanismus. W. 2 St. im Sommersemester. Ebert. Mathematische Geographie. Die Erscheinungen am Himmel und ihre Erklärung. W. 2 St. im Wintersemester. Ebert.

i. 1) Planimetrie. Zusammenhang der Bestandtheile des Vier- und Vielecks untereinander. Flächengleichheit. Kreislehre. Leitfaden I Cap. IX—XII. II Cap. I—III., X—XIII. W. 2 St. Klein. 2) Arithmetik. Multiplicieren und Dividieren. Potenzen und Wurzeln des zweiten und dritten Grades. Uebungen nach Heis § 14—25. § 50—53. W. 2 St. Klein.

k. Zeichnen. W. 2 St. Schurig.

Quarta. (Cursus einjährig.)

Ordinarius: Quartus Dr. Polle.

a. Religionslehre. Uebersichtliche Erklärung des ganzen Katechismus nebst Auswendiglernen desselben. Repetition des ersten Hauptstückes. Das Kirchenjahr. Erster und zweiter Artikel. Bergpredigt. Auswendiglernen von Sprüchen und Gesangbuchsliedern. W. 2 St. Michael.

b. Lateinische Sprache. Grammatik nach Middendorf und Grüter I. Th. 2. Cap. 23 bis zu Ende. Zurückgabe der Scripta. Extemporalien. Lectüre: Cornelius Nepos V. VII—IX. XVII. XXII. XXIII. W. 5 St. Polle. Prosodie und Lectüre aus der „Dichterschule". Syntaktische Uebungen. W. 3 St. Pfuhl.

c. Griechische Sprache. Formenlehre nach Krüger § 25—40. Uebersetzen aus dem Deutschen in's Griechische nach Halms Anleitung I. Th. 1. Cursus und 2. Cursus § 1—14 mit Auswahl. Lectüre aus Halms Lesebuch. Zurückgabe der Scripta. Extemporalien. W. 6 St. Polle.

d. Deutsche Sprache. Lesen, Erklären von Gedichten, Declamieren, Aufsätze, Dictate. W. 3 St. Caspari.

e. Französische Sprache. Grammatik nach Plötz bis zur 31. Lection. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen. Extemporalien. Declamation. Lectüre: Chrestomathie von Plötz. W. 3 St. Schuman-Leclercq.

f. Geschichte. Geschichte der Griechen von den Urzeiten bis zur Schlacht bei Salamis. W. 2 St. Polle. Von da bis zur Zerstörung von Korinth. W. 2 St. Richter.

g. Geographie. Europa und speciell Deutschland. W. 2 St. Ebert.

h. 1) Planimetrie. Lagenuntersuchungen, Congruenz der Dreiecke (Leitfaden I Cap. I—VIII) und Constructionen. W. 2 St. Klein. 2) Arithmetik. Decimalbrüche. Addieren und Subtrahieren. Relative Zahlen. Uebungen nach Heis § 29. 30. 1—13. W. 2 St. Klein.

i. Naturgeschichte. Sommer: Mineralogie. Die morphologischen und physischen Eigenschaften der Mineralien. Specielle Beschreibung einiger Mineralspecies. W. 2 St. Winter: Geognosie. Petrographie und Formationslehre mit Berücksichtigung der vorzüglichsten Fossilien. W. 2 St. Ebert.

k. Zeichnen. W. 2 St. Schurig.

Quinta superior. (A.) (Cursus einjährig.)

Ordinarius: Professor Michael.

a. Religionslehre. Biblische Geschichte: das Leben Jesu nach den vier Evangelien. W. 1 St. Katechismuslehre: das dritte Hauptstück. Wiederholung des ersten und zweiten. Auswendiglernen von Sprüchen. W. 2 St. Caspari.

b. Lateinische Sprache. Mit schriftlichen Uebungen verbundene Repetition der Formenlehre. Die Lehre vom zusammengesetzten Satze nach Middendorf und Grüter III. Abschnitt § 29 bis § 65 nebst Uebersetzung der dazu gehörigen Uebungsstücke. Wöchentliche Scripta und Extemporalien darüber. Auswendiglernen der noch nicht gelernten unregelmässigen Verba in Middendorf und Grüter § 149 bis § 193, sowie Auswendiglernen der in Unterquinta noch nicht gelernten Vocabeln aus Wiggerts Vocabularium, nebst Repetition der früher gelernten. Declamationen. W. 6 St. Michael. Lectüre von Jacobs und Dörings Elementarbuch 1. Bändchen 2. Cursus mit Auswahl. W. 2 St.; im Sommer Fleckeisen, im Winter Richter.

c. Griechische Sprache. Formenlehre nach Krüger § 1—24. Uebersetzen aus dem I. Cursus von Halms Anleitung und Lectüre von Halms Lesebuch. Wöchentlich 1 Scriptum. W. 3 St. Polle.

d. Deutsche Sprache. Uebungen im Lesen, Wiedergeben, Nachbilden von Stücken aus Masius Lesebuch I. Th. Freies Erzählen. Declamation. Aufsätze. Dictate. W. 3 St. Michael.

e. Französische Sprache. Grammatik nach Georg § 114 bis 168. Mündliche und schriftliche Uebersetzungen. Extemporalien. Declamation. Lectüre: Seineckes Lesebuch. W. 3 St. Schuman-Leclercq.

f. Geschichte. Neuere Geschichte und Repetition der alten und mittleren Geschichte. W. 3 St. Menzel.

g. Geographie. Amerika, Australien, Afrika und Asien. W. 2 St. Ebert.

h. 1) Arithmetik. Angewandte Regel de tri mit Brüchen. Im Sommer 3, im Winter 2 Stunden. 2) Geometrie. Geometrische Formenlehre nach Kleins Leitfaden I § 1—33 mit Auswahl. W. 1 St. im Winter. Ebert.

i. Naturgeschichte. Sommer: Botanik. Pflanzenmorphologie. Uebungen im Bestimmen phanerogamer Pflanzen mit Berücksichtigung des natürlichen Systems. W. 2 St. Winter: Zoologie. Die thierischen Organe und ihre Verrichtungen. Speciell die Säugethiere, im Ueberblick die anderen Thierclassen. W. 2 St. Ebert.

k. Kalligraphie. W. 2 St. Zähler.

l. Zeichnen. W. 2 St. Schurig.

Quinta inferior. (B.) (Cursus einjährig.)

Ordinarius: Oberlehrer Dr. Jancovius.

a. Religionslehre. Biblische Geschichte: die Geschichten des alten Testaments nach Zahns bibl. Historien. W. 2 St. Katechismuslehre: das dritte Hauptstück, Wiederholung der vorhergehenden. Auswendiglernen von Sprüchen und Liedern. W. 1 St. Caspari.

b. Lateinische Sprache. Formenlehre. Auswendiglernen von Vocabeln (nach Wiggert sub 1 und 2). Wöchentliche Scripta und Extemporalien. Syntax nach Middendorf und Grüter I. 2 § 21—38. 61 flg. 72. 78. Lectüre: Jacobs und Dörings lat. Elementarbuch I. 2. IV römische Geschichte I—VI. W. 10 St. Jancovius.

c. **Deutsche Sprache.** Lesen. Auswendiglernen von Gedichten. Aufsätze. Dictate. Erzählen gelesener Geschichten. W. 4 St. Jancovius.

d. **Französische Sprache.** Grammatik von Georg No. 64 bis No. 100 und die vier Conjugationen. W. 3 St. Klin.

e. **Geschichte.** Im Sommer combiniert mit Quinta A; im Winter: Mittelalter und Repetition der alten Geschichte. W. 3 St. Menzel.

f. **Geographie.** Asien, Afrika, Amerika, Australien. W. 2 St. Ebert.

g. **Arithmetik.** Angewandte Regel de tri mit ganzen Zahlen; Bruchrechnung. W. 3 St. Ebert.

h. **Naturgeschichte.** Sommer: Botanik. Pflanzenmorphologie; Linnésches System. W. 2 St. Winter: Zoologie. Die Wirbelthiere. W. 2 St. Ebert.

i. **Kalligraphie.** W. 2 St. Zähler.

k. **Zeichnen.** W. 2 St. Schurig.

Sexta. (Cursus einjährig.)

Ordinarius: Collaborator Caspari.

a. **Religionslehre.** Biblische Geschichte: die Geschichten des alten Testaments. W. 2 St. Katechismuslehre: erstes Hauptstück. Auswendiglernen von Sprüchen und Liedern. W. 2 St. Caspari.

b. **Lateinische Sprache.** Formenlehre bis zu den verba deponentia incl. nach Middendorf und Grüter. Scripta nach Haakes Aufgaben. Extemporalien. Auswendiglernen von Vocabeln nach Wiggert. W. 6 St. Caspari. Lectüre: Jacobs und Dörings lat. Elementarbuch I. 1. W. 2 St. Im Sommer Jancovius, im Winter Richter.

c. **Deutsche Sprache.** Leseübungen, Erzählungen. Schriftliche Nachbildung mitgetheilter Erzählungen. Orthographische Uebungen. Auswendiglernen deutscher Gedichte aus Masius- Lesebuch I. W. 4 St. Im Sommer Caspari, im Winter Zähler.

d. **Französische Sprache.** Grammatik von Georg No. 1 bis No. 70 und die erste Conjugation. W. 3 St. Klin.

e. **Arithmetik.** Die vier Species mit benannten und unbenannten Zahlen. W. 3 St. Im Sommer Ebert, im Winter Zähler.

f. **Geschichte.** Griechische und römische Geschichte, vorzugsweise biographisch. W. 3 St. Im Sommer Menzel, im Winter Jancovius.

g. Geographie. Die Grundlehren der Geographie und kurze Uebersicht der fünf Erdtheile (nach Daniels Leitfaden). W. 2 St. Im Sommer Caspari, im Winter Zähler.

h. Naturgeschichte. Sommer: Botanik. Die hauptsächlichsten Theile der Pflanze. W. 2 St. Winter: Zoologie. Die Organe des thierischen Körpers; Ueberblick über das gesammte Thierreich. W. 2 St. Ebert.

i. Kalligraphie. W. 3 St. Zähler.

k. Zeichnen. W. 2 St. Schurig.

Gesangunterricht. W. 4 St., davon für Sopran und Alt je 1 St., für Tenor und Bass zusammen 1 St., für Chorgesang 1 St. — Gelernt wurden mehrere Choral-Melodien, vierstimmige Choräle, Arien, Motetten und Lieder für gemischten Chor und Männerstimmen. Wiederholung früher gelernter Gesänge. Friedrich.

Gymnastischer Unterricht. W. 8 St. Im Sommer Bier, im Winter Zähler.

Exercieren. Im Sommer w. 4 St. Rassmann.

Floretfechten. Im Winter w. 4 St. } Rassmann.
Hiebfechten. Im Winter w. 1 St. }

Tanzunterricht. Im Winter w. 8 St. Plagge.

Verzeichnis der Lehrer.

Rector Professor Dr. Karl Scheibe.
Conrector Professor Dr. Alfred Fleckeisen.
Tertius Professor Dr. Christian Traugott Pfuhl.
Quartus Dr. Friedrich Polle.
Professor Julius Oskar Michael, erster Religionslehrer.
Professor Dr. Hermann Klein, Lehrer der Mathematik und Physik.
Professor Eduard Schuman-Leclercq, Lehrer des Französischen.
Oberlehrer Dr. Rudolph Menzel, Lehrer der Geschichte und deutschen Sprache.
Oberlehrer Dr. Robert Ebert, Lehrer der Mathematik und Naturgeschichte.
Oberlehrer Dr. Max Jancovius.
Collaborator Cand. rev. min. Kurt Caspari, zweiter Religionslehrer.
Oberlehrer Julius Zähler, Lehrer des Turnens, der Kalligraphie und einiger Elementarlehrzweige.

John Sherwood, Lehrer des Englischen.
George Klin, Lehrer des Französischen.
Professor Wilhelm Schurig, Zeichenlehrer.
Cantor Eduard Friedrich, Gesang- und Musiklehrer.
Balletmeister Louis Plagge, Tanzlehrer.
Friedrich Rassmann, Lehrer für Exercieren und Fechten.

Verzeichnis

der Schüler nach ihrer Vertheilung durch die einzelnen Classen am Schlusse des Semesters.*)

Prima.

I. Abtheilung.

		Auf-genommen:	Tutoren:
1. Max Schober, geb. zu Tharandt den 18. Mai 1848.	P.	Mich. 1861.	Pfuhl.
2. Heinrich von Friesen, geb. zu Dresden den 29. October 1847.	E.	Mich. 1861.	Ebert.
3. Johann Graf zu Rantzau, geb. zu Uetersen in Holstein den 16. September 1847.	E.	Ostern 1863.	Menzel.
4. Kurt Graf zu Rantzau, geb. zu St. Petersburg den 12. December 1845.	E.	Ostern 1863.	Menzel.
5. Bernhard Graf von Bassewitz, geb. zu Bristow bei Teterow in Mecklenburg den 15. April 1846.	E.	Mich. 1861.	Schuman.
6. Ludwig von Plessen, geb. zu Lindholm auf Seeland den 11. September 1848.	P.	Ostern 1864.	Fleckeisen.

II. Abtheilung.

7. Karl Manitius, geb. zu Dresden den 12. März 1848.	E.	Ostern 1862.	Klein.
8. Kurt von Reiswitz, geb. zu Berlin den 6. October 1847.	P.	Mich. 1864.	Pfuhl.

*) A. Alumnen oder stiftungsberechtigte Zöglinge, P. Pensionäre oder interne Zöglinge, E. Extraneer.

		Aufgenommen:	Tutoren:
9. Moritz Graf von Wallwitz, geb. zu Dresden den 13. December 1846.	P.	Mich. 1864.	Michael.
10. Theodor Fritzsche, geb. zu St. Petersburg den 24. Mai 1846.	E.	Mai 1862.	Ebert.
11. Kurt Neidhardt, geb. zu Johanngeorgenstadt den 12. August 1847.	E.	Ostern 1865.	Menzel.

Secunda.

I. Abtheilung.

1. Paul Körner, geb. zu Dresden den 24. December 1849.	E.	Mich. 1861.	Menzel.
2. Eduard von Wöhrmann, geb. zu Dresden den 11. Februar 1848.	P.	Ostern 1863.	Fleckeisen.
3. Hermann von Broizem, geb. zu Leipzig den 5. October 1850.	P.	Mich. 1864.	Fleckeisen.
4. Victor Madelung, geb. zu Thallwitz bei Wurzen den 30. Sept. 1848.	E.	Ostern 1863.	Menzel.
5. Hugo von Hackewitz, geb. zu Breslau den 4. September 1848.	A.	Ostern 1858.	Polle.
6. Oskar von Dolega-Kozierowski, geb. zu Herrnhut den 25. Juni 1850.	E.	Ostern 1864.	Menzel.
7. Rudolph Lienau, geb. zu New-York den 21. October 1846.	E.	Ostern 1864.	Klein.
8. Arthur Graf von Keyserling, geb. zu Gaiken in Curland den 7. März 1847.	E.	Mich. 1861.	Schuman.
9. Georg Argyropulos, geb. zu Athen den 7. October 1847.	E.	Ostern 1863.	Schuman.
10. August Meinert, geb. zu Dresden den 9. Mai 1847.	E.	Mich. 1863.	Ebert.

II. Abtheilung.

11. Werner von Reitzenstein, geb. zu Dresden den 2. November 1848.	E.	Neujahr 1863.	Klein.
12. Paul Graf Vitzthum von Eckstädt, geb. zu Oberlichtenau in der Oberlausitz den 5. Juli 1850.	A.	Mai 1859.	Fleckeisen.

		Aufgenommen:	Tutoren:
13. Max von Heygendorff, geb. zu Dresden den 19. September 1850.	P.	Ostern 1864.	Fleckeisen.
14. Hermann von Schweinitz, geb. zu Dresden den 3. Januar 1851.	A.	Ostern 1860.	Jancovius.
15. Charles Edwards, geb. zu Elisabeth im Staate New-Jersey den 24. Januar 1849.	E.	Mich. 1864.	Klein.
16. Arthur Kürsten, geb. zu Dresden den 8. Juli 1850.	E.	Ostern 1865.	Schuman.
17. Erwin Beschorner, geb. zu Dresden den 12. April 1849.	E.	Ostern 1865.	Klein.
18. Georg Häpe, geb. zu Dresden den 24. Juli 1848.	E.	Ostern 1862.	Schuman.
19. Demetrius Graf von Lunzi, geb. zu Zante den 19. März 1848.	E.	Mich. 1864.	Menzel
